



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

---

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



DISSERTATIO  
METAPHYSICA.

DE

LIBERTATE HOMINIS

ABSOLVTE SVMPTA:

IN QVA

*Omnes tam veterum, quàm recentiorum, cã de re opiniones ad  
certas classes reuocantur, candidè proponuntur, placidèque  
inter se conferuntur, ut omnes generatim intelligantur, pro-  
babiliorèsq; tutiùs eligantur.*

Auctore PETRO DE VILLEMANDY,  
V. D. M. & Philosophiæ in Academia  
Salmuriensi Professore



SALMVRII;

Ex Typographiã IOANNIS LESNERII,  
ad Insigne Libri Aurei. M. DC. LXXIII.





DOCTRINA, PIETATE, ET VIGILANTIA  
CONSPICVIS  
ANDEGAVENSIS PROVINCIAE  
MINISTRIS.  
AC SENIORIBVS,  
BELLESVM  
IN SYNODVM CONVOCATIS.



*V*andoguidem specialis Scholae Salmuriensis cura vobis est  
commissa, VIRI GRAVISSIMI; consentaneum est, ut  
Schola huius Alumni studiorum suorum rationem vobis  
identidem exhibeant. Cum itaque in eius subselliis bien-  
nium, aut circiter, rebus philosophicis informati fuerimus,  
eoque toto tempore studiorum nostrorum rationem exigere vobis non  
licuerit; propterea studio iam exeuntes venerandorum Confessorum vestrum  
adimus, ut eorum rationem reddamus. Quae sit in exigendo uniuscu-  
iusque officio sedulitas vestra, nos non latet; adeoque reuerendus Con-  
spectus vester nobis verendus est; verum, si imperitiae & ruditatis  
sensus nos deterret, susceptorum laborum, officiique nunquam intermissi,  
conscientia fiduciam facit. Paucos fortasse progressus fecimus; longum

tamen & conueniens iter emense sumus. Ea est plerorumque Pulpitorum in docendâ Philosophiâ conditio, ut terminis magna quadam sonantibus, nihil tamen significantibus, vel futilibus argutiis, tota personent. Ea etiam aliorum sterilitas; ut, cum tanta sit inter Philosophos sectarum & placitorum varietas; illa tamen unius duntaxat, aut alterius icônâ Philosophi decretis ita adherescant, ut aliorum omnium scita flocci faciant. Ex hac dissertatione, subiunctisque Corollaris, facile perspicietis, VIRI REVERENDI, nos nec eiusmodi nugis & argutiis fuisse occupatos, nec in unius aut alterius Philosophi placitis ita detentos, quin aliorum statura excusserimus. In Aristotelis Lyceo præcipue quidem ambulamus; inde tamen ad faciles Epicuri Hortos, cultissimâque Recentiorum viridaria expositi sumus, ut, si que in iis utilia forent, legeremus. Quod si ex tam multis pauca delibauimus, confidimus, tamen fore, ut conatus nostri vobis prorsus non displiceant. Equo igitur animo excipite: nec, dum Senatus Academicus Lauream Magistralem largitur, ferales cupressos nobis ostentetis. Id rogant, virtutum vestrarum deuotissimi cultores,

## Laureæ Magistralis candidati,

ROBERTVS PETRVS CHITTONVS, *Pis.*

IOANNES LERIGETVS, *Engolismensis.*

STEPHANVS GVILLERALDVS, *Turonensis.*

IOANNES DAVID, *Mirabellensis.*

DAVID DAVID, *Mirabellensis.*

DANIEL ORILLARDVS, *Castroheraldensis.*



DISSERTATIO  
METAPHYSICA  
DE  
LIBERTATE HOMINIS  
ABSOLVTE SVMPTA.

LIBERTAS.



ICVBI heroicum istud magni viri symbolum, *Quantum est, quod nescimus*, illud sane in negotio humanæ libertatis est vsurpandum. Vnusquisque libertatem in seipso persentiscit; ac vix vna naturam & conditionem illius intimè dignoscit. Omnes forè libertatem providentiæ diuinæ subordinari concedunt; ac vix vllus nouit, quâ ratione libertatis instabilis, cum immotis providentiæ decretis, immutabili præscientiâ, concursuque determinato consistat. Multi quidem naturam libertatis, & concordiz huius mysterium explicare tentarunt; sed rem aded ambiguè præsterunt, et nondum planè constat, quid ea de re sentiendum sit. Aliam viam veteres Stoici, Augustinos cum multis Ecclesiæ Patribus, Thomas cum vetustioribus Thomistis, Scotus cum aliquibus Scotistis, Iansenius cum Iansenienis, Caluinus cum prioribus Doctoribus Reformatis: Aliam Aristoteles cum pleribus Aristoteleis, Aluarcius cum recentioribus Thomistis, Gassendus cum hodiernis Epicureis, Cartesius cum Cartesianis, Rivetus cum posterioribus Reformatis: Aliam

denique Molina cum Iesuitis, Socinus cum Socinianis, Arminius cum Arminianis, Dilherrus cum pluribus Augustanz confessionis Doctoribus, instituisse videntur.

Inter tot doctissimorum virorum sententias, circa rem perocculam & maximè instabilem variantes, difficillimum est determinare, quid sit sentiendum. Quoniam tamen distincta libertatis notitia ad plenam humanæ mentis cognitionem, solidam variarum quæstionum, cum Philosophicarum, tum Theologicarum resolutionem, maioremque gloriæ diuinæ manifestationem, est pernecessaria; nec auctores in eius explanatione adeo dissentiunt, quin ad certas classes referari possint, & mutua lucem placidâ collatione sibi fœnerari; idcirco gravissimæ huius materiæ explanationem suscepimus. In hoc volubili Euripo duo inter alios scopuli sedulo cauendi sunt, 1.º ne libertatis priuilegia; 2.º ne Dei ira violantur. Inter utrumque sic eursus nostrum dirigere conabimur, ut in neutrum illorum incurramus. Quoad cætera, de libertate liberrimè philosophaturi sumus. Quòd si, vel rei obscurissimæ ignorantia, vel humanæ mentis infirmitate, aliquid paulò liberius nobis exciderit, quòd fidei, aut pietati, quam profitemur, minus sit conformis, deuenemus.

### LIBERTATIS DISTINCTIO NES.

LIBERVM varia significat. Aliquando idem est ac nùtu suo vtiens & minimè seruum. Aliquando idem ac lége solutum. Aliquando denique idem ac voluntarium & indifferens.

Iuxta hanc triplicem libesiasceptionem triplex datur libertas; Civilis, Moralis & Naturalis. Civilis est facultas viuendi, ut velis: Moralis est rei alicuius agendæ, vel omittendæ, licentia: Naturalis est facultas ita sui domina, ut nullo cogente, vel necessariò determinante, operetur. Libertati Civili seruitus, Morali constructio à lége, Naturali exactio, vel necessitas opponuntur. De postrema tantùm sermonem instituimus.

### LIBERTATIS NATURALIS APPELLATIONES.

Varie sunt libertatis huius appellationes. Dicitur aliquoties *libera voluntas*. Duplex est operandi modus in voluntate, naturalis & voluntarius, siue liber. Operatur naturaliter, quando impulsu naturali, solòque sensuum ductu ruit in obiectum. Operatur voluntariè, quando ex rationis attentione in obiectum fertur: Voluntas priori respectu est quidem facultas spontanea, sed non est propriè libera. Vnde libertas non appellatur simpliciter voluntas, sed *voluntas libera*.



Dicitur sæpius *liberum arbitrium*. Arbitrium significat propriè iudicium legis rigore solutum, vsurpatur tamen pro quolibet intellectus iudicio, siue libero, siue lege præscripto. Quoniam autem intellectus raro de rebus agendis pronuntiat, quin mox intellectus iudicio aliquod voluntatis propositum accedat: inde factum est, ut vox arbitrij, vtrumque illum intellectus & voluntatis actum significet. Cumque actuum nomina facultatibus ipsis frequenter tribuantur; inde rursus eadem illa vox ad intellectum & voluntatem ex distincta cognitione operantia translata est. Arbitrium igitur nihil aliud ex vsu recepto significat, quàm intellectum & voluntatem ex attenda obiecti cognitione operantes. Verùm, cum plerumque ex cognitione distincta operentur, nec tamen sint plene libera; eò quod ea cognitione ita determinentur, ut actiones suas suspendere nequeant; uti contingit in prosecutione summi boni, ipsiusque clare percepti diiudicatione; idcirco liberas non appellatur dontaxat *arbitrium*, sed *arbitrium liberum*; hoc est, facultas ab omni fere determinatione aliena immunis.

Appellatur denique *libertas*: quæ vox, cum immunitatem ab omni determinatione naturali & bruta, ab omni coactione externa, imò etiam quandam in agendo indifferentiam, sonet; propterea humanæ libertati designandæ est aptissima; uti ex notione libertatis; iam iam subiacienda, elucefcet.

### LIBERTATIS NOTIO.

LIBERTATIS essentia plene explicari nequit; quin prius obiectum, varij actus, sedes, radix, &c. assignata sint; quoniam tamen eius essentia distincte confirmari non potest, quin prius ipsa adumbratur, idcirco adumbrare visum est, antequam existentiam ipsius asseramus.

Multa sunt authorum circa essentiam libertatis opiniones: omnes tamen ad tres revocari possunt. Prima est eorum, qui arbitrantur naturam libertatis sitam esse in spontaneitate rationali. Spontaneitas in genere est immunitas à coactione & violentiâ, Triplex est spontaneitatis species; Pure naturalis; quæ agentibus omni cogitatione destitutis; Bruta, quæ cognitione sensitiva præditis; & Rationalis, quæ ratione instructis conuenit. Qui hanc opinionem tuentur, nolunt libertatis notionem sitam esse in spontaneitate pure physica; licet enim ignis, exempli gratia, in vrendo immunis sit à coactione, & naturaliter vrat; is tamen non est in vrendo liber; quandoquidem ad vrendum naturaliter est determinatus. Nolunt quoque eam sitam esse in spontaneitate animali & bruta: quamvis enim belluæ in alimentî appet-

tione immunes sint à coactione, & à necessitate physica; libere tamen censeri non possunt: quoniam alimenti dulcedine ad hunc appetitum necessarid determinantur. Volunt igitur illam consistere in sola spontaneitate rationali, hoc est, in facultate, quæ à coactione, necessitate physica, & determinatione bruta immunis, ex rationis iudicio operetur. Itaque iuxta hanc opinionem simplices perceptiones, quæ in intellectu ex inopinato obiectorum appulsu; volitiones inefficaces, siue motus primo-primi, qui in voluntate, ex primâ obiectorum perceptione, &c. excitantur; nullatenus sunt libera; quia rationem præveniunt. Itaque libertas iuxta sententiâ illam est definienda: *Immunitas à coactione in eo, qui agit ex rationis iudicio; vel potius, facultas, quâ homo sponte & præniâ rationis operatur.* Sic de libertate philosophantur Stoici apud Braduardinam, de causa Dei lib. 1. cap. 29. Augustinus, libro tertio de libero arbit. cap. 3. Thomas, quæst. Disput. de potentia, quæst. 1. artic. 2. Scotus in 1. dist. 2. quæst. 7. Iacobus Augustini sui tom. 3. lib. 6. Calvinus Inst. Christ. lib. 2. cap. 2. Scharpius de liber. arbit. cap. 2. Chamierus loc. com. lib. 4. cap. 3. Placeus in operibus posthumis tract. de libero arb. Strangius de voluntate & actionibus Dei circa peccatum lib. 3. cap. 23. Alexander Morus de necessariâ Dei gratiâ & libero hominis arbitrio disput. 1. His accenseri possunt Guillelmus Gubiufus de libertate Dei & creaturæ lib. 1. Guillelmus Camerarius disp. selectar. part. 2. &c. qui essentiam libertatis constituunt in subordinatione quadam, qua creatura intelligens Deo, tanquam principio, & fini ultimo subijcitur. Per hanc enim subiectionem nihil aliud intelligunt, quam dominium creaturæ in suas actiones, à Deo dependens, & in Deum ordinatum: hocque dominium nihil aliud est, quam spontaneitas rationalis, in statu perfecto considerata: Vnde Camerarius libertatem perfectam describit; *Indifferentiam ad multa, per ordinem ad suum.*

Secunda opinio est illorum, qui notionem libertatis constituunt in potestate ad agendum vel non agendum, siue, in indifferentia ad utrumlibet contradictoriorum. Facultas ex prævio rationis iudicio operans est duplex, alia ad operandum determinata; vt voluntas beatorum respectu amoris diuini; alia verò indifferens & indeterminata, quæ ita operatur, vt eo momento, quo operatur, possit non operari; qualis est voluntas hominis respectu ambulationis. Nolunt illi libertatis essentiam sitam esse in facultate rationali ad vnum determinata; quandoquidem liberum & voluntarium forent idem: Sed positam volunt in facultate indifferenti, & ad neutrum oppositorum determinata; vnde libertatem definiunt, *Immunitatem à necessitate in agente rationali, vel, facultatem agentis seipsum in utramlibet partem determinantis.* Sic Ari-

Artes 3. Ethic. cap. 4. & 5. Sic Aluarez de auxili. lib. 12. Ioannes à Sancto Thoma, tertia parte Philosophiz Naturalis, quæst. 12. Gonetus Clypei Theologiz Thomisticæ, tom. 3. tract. 2. disput. 2. Gallendus Ethicæ lib. 3. cap. 1. Cartesius Epistol. volum. 1. Epistol. 112. Riuetus Summæ controuers. tract. 4. quæst. 3. Herbordius Collegij Ethici disp. 11. Vendelinus Philosoph. Moral, lib. 1. cap. 4. quæst. 11.

Tertia sententia est eorum, qui libertatis rationem constituunt in facultate ita indifferenti, & sui domina, vt ab omni aliena determinatione sit immunis. Facultas indifferens est duplex, alia sic indifferens & suarum actionum domina, vt tamen determinationem alterius, Dei nempe, vel dictaminis intellectus &c. pati possit; alia verd ita est indifferens, siue ipsius arbitra, vt omnem determinationem alienam respiciat. Secunda opinio iam memorata notionem libertatis in priori indifferentia; at tertia; de qua nunc agitur, in posteriori collocat: Vnde cum Almains tractatu primo Moralium cap. 2. liberum arbitrium definit, *id, quod positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere & non agere, aut ita agere vnum, vt contrarium etiam agere possit.* Sic Molina in Concordia. Suarez. in Metaph. disput. 19. de necessitate & contingentia. Martinonus in Anti-Iansenio, disput. 30. de gratia. Arminius in articulis diligenti examine perpendendis, articulo de creatione hominis. Episcopus tractat. de liber. arbitr. Sociniani Catecheseos Racouianæ capit. x. de liber. arbitr. Dilherrus disputationum academicarum, tom. 2. disput. de liber. arbitr.

Ad grauissimæ huius controuersie resolutionem quædam præmittenda sunt.

Facultas agendi est triplex, pure naturalis, spontanea, & libera. Pure naturalis ea est, quæ ad agendum ita est determinata, vt remotis impedimentis semper operetur: Talis est vis illuminandi in sole. Spontanea ea est, quæ quidem ad operationem non videtur semper determinata, ad eam tamen ab agente externo ita determinatur, vt seipsam actiue non condermineret. Talia vulgò censetur appetitus in brutis, quoniam proposita boni species ita commouetur, vt ad hanc commotionem nihil plane conferre videatur. Libera denique ea est, quæ, cum ad agendum non sit determinata; seipsam, sine infallibilitate, sine contingente, circa eam propositam determinat.

Vnaquæque ex his facultatibus duo in suo conceptu distincte includit; immunitatem ab aliqua necessitate externa, & deinde internum quendam operandi modum, sibi connaturalem. Pure naturalis immunitatem à violentia includit, vna cum physica ad operandum determinatione. Violentia autem est externa agentis cognitione destituta

impulsio, propensione eius contraria. Spontanea immunitatem à coactione cum indifferentia quadam; sed indifferentiâ, obiecti appulsu necessariò determinandâ. Porrò coactio est vis superior, agens cognitione præditum aduersus inclinationem propriam determinans; Libera denique immunitatem à determinatione per obiectum, cum vi sui ipsius determinatiua.

Omnes igitur hæ facultates in eo conueniunt, quòd vnaquæque perspicue connotet immunitatem ab aliqua necessitate, pure naturalis immunitatem à violentia; spontanea immunitatem à coactione, & libera immunitatem à determinatione per obiecta. Quoad internum operandi modum; quem important, Pure naturalis est ex se ad agendum determinata: spontanea partim est determinata, partim indeterminata; libera vero est prorsus indeterminata, sui que determinatiua. His præmissis libera fusiùs declaranda est.

### ASSERTIO PRIMA.

Si libertas spectetur in genere, describi potest, ex Iosue Placeo, tractat. de liber. arbit. Immunitas à triplici necessitate, nempe internâ naturali, externâ cogente, & obiectiuâ necessariò determinante; licet enim libertas triplicem hanc immunitatem proxime & euidenter non importet; eas tamen reipsa includit. Vnde sol libere non illuminat, quia ex se ad illuminandum est necessitatus; nec reus carcerem libere adit, quia vi superiore adire cogitur: nec denique bos esuriens ad pabulum libere accedit, quoniam pabuli iucunditate eò determinatè rapitur. Verùm hæc libertatis descriptio non est adæquata; cum non exprimat quæcunque libertati sunt essentialia. Libertas igitur conuenientiùs, cum Emanuele Magnano Philosoph. sacræ cap. 13. dicitur, *facultas sui, suarumque operationum arbitra*. Cum enim is liber vulgò censetur, qui agendi virtute est præditus, & in agendo ab alterius lege est solutus; libertas recte dicitur, facultas sui, operationumque suarum arbitra. At nec definitio ista satis exprimit liberæ facultatis conditionem. Itaque libertas omnium conuenientissime explicatur à Derodone disp. de libero arbitrio cap. 2. art. 27. *facultas; quæ agens intellectuale sponte, libenter & secundum propriam voluntatem agit; sine necessariò, sine contingenter, agit*. Nihil enim in libertate continetur, quod hac descriptione non exprimitur.

Dices 1<sup>o</sup>. Mercator, urgente procellâ, coacte merces in mare, libere samen, projicit. Ergò libertas est etiam cum coactione.

Resp. Duplex est, inquit Cergutus, coactio: Passiua ad quam pa-

rientis voluntas nihil confert: Sic facinorosus ad patibulum cogitur; & actius ( *potius passivo-activa* ) ad quam aliquid confert. Prior stare nequit cum libertate; at posterior, *si saltem coactionis nomen mereatur*, stare potest. Iam verò mercator posteriori, non priori, coactione impulsus, merces in pelagus deturbat; quia licet ex ardentis mercium amore huic projectioni reluctetur: illi tamen ex ardentiori vitæ ser-  
 pandæ studio assentitur.

Dices 2<sup>a</sup>. Libertas est vel intellectus, vel voluntas, vel utrumque simul. Sed neutra harum facultatum est immunis determinatione ab obiecto: intellectus enim obiectum à sensibus oblatum non potest non intelligere; voluntas idem ab intellectu monstratum non potest non amplecti, vel respicere. Ergo libertas non est immunis à deter-  
 minatione obiecti.

Negatur min. cum eius confirmatione. Obiectum sensus ferientis intellectum quidem sollicitat ad agendum: At intellectus ipse est, qui se determinat. Quoad voluntatem, videtur itidem ab intellectu obiectum præmonstrante determinari ad illius amorem, vel odium: Sed intellectus definit duntaxat obiectum, circa quod operetur; aut forte eam ad operandum sollicitat; verum non applicat ad agendum, nec ad actus exercitium infallibiliter præmouet. Præterea licet obiectum moueret infallibiliter intellectum ad sui perceptionem, & intellectua voluntatem ad illius amorem vel odium; hæ facultates forent tamen operationum suarum arbitra, quoniam sic ab alio mouerentur, vt se quoque mouerent. Sed de his infra fusiùs.

Dices 3<sup>o</sup>. Solus Deus est suarum, omniumque aliarum actionum, arbiter; siquidem, ex Ieremiæ x. *Non est in homine via eius, nec est viri, ut gressus suos dirigat.* Ergo libertas creaturæ non est suarum actionum arbitra.

Resp. Deus solus est supremus actionum tum à se, tum à creaturis procedentium, arbiter; sed hoc non impedit, quominus creatura sit actionum suarum sub Deo domina; cum enim dominium nihil aliud sit, quàm facultas re aliquâ vtendi; & creatura possit seipsâ vti, hoc est, in actum prodire, vel ab actu cessare, pro libitu; inde sequitur eam esse sui ipsius dominam. *Liberum arbitrium est causa sui motus, quia homo per liberum arbitrium seipsum mouet ad agendum. Non tamen hoc est de necessitate libertatis, quòd sit prima causa sui id, quòd liberum est; sicut neque ad hoc, quòd aliquid sit causa alterius, requiritur, quòd sit prima causa eius.*  
 Thomaz I. part. quart. §3.

## ASSERTIO SECUNDA.

**LIBERTAS** alia est Complacentiæ, alia Indifferentiæ. Prior describi solet, *immunitas à coactione*; sed, cum eiusmodi immunitas reperitur in libertate indifferentiæ, æque ac in libertate complacentiæ, libertas complacentiæ potius describenda est, facultas sponte quidem, infallibiliter tamen, ad operandum se se determinans. Posterior dici quoque solet, *immunitas à necessitate*; sed, cum omnem necessitatem non respuat, ut ex dicendis eluceſcet, congruentius dicetur, potentia se ad operandum ita determinans, ut operationem suam suspendere possit. Posterioris huiusce libertatis notio in indifferentiâ quadam sita est. Indifferentiâ igitur est duplex, Negatiua & Positiua. Prior est meta negatio actus in facultate otiante: posterior est potestas ad opposita. Hæc iterum est duplex, *Contradictionis*, ut aiunt, & *Contrarietatis*. Indifferentiâ contradictionis est potestas ad agendum vel non agendum: ad actum, vel ad eius suspensionem. Indifferentiâ contrarietatis est potestas ad quolibet actus contrarios. Quoniam potentia libera eo momento, quo operatur, est liberrima, nec tamen est indifferens indifferentiâ negatiuâ: quandoquidem etiam indifferentiâ contrarietatis secundum totam extensionem suam non conuenit cuilibet libertati: nam libertas beatorum non est ad bonum & malum indifferens: hinc indifferentiâ, in qua notio huiusce libertatis consistit, est indifferentiâ contradictionis.

Potest, cum Deus seipsum libere amet, & tamen non amare non possit: cum etiam beati Deum libere diligant, & tamen non diligere nequeant: cum damnati libere cruciatus infernos suerſentur, & tamen non auerſari non possint: cum denique mens, quando ad vnum est determinata, eo statu sit operationis suæ domina, eo quod voluntarie ad eam se determinauerit, eamque quoad circumstantias diuersimode flexere valeat: & tamen plerumque non possit non operari: inde patet libertatem complacentiæ nomen libertatis mereri. Verum, cum eiusmodi libertas actionum suarum ita domina non sit, ut eas pro libitu exercere, vel suspendere queat: cum deinde à mente ipsa voluntarie operante vix distingui possit, omnes tamen consentiant, voluntarium & liberum proprie dictum distingui: cum denique ab agente externo, obiecto videlicet, æque propemodum determinetur, ac à seipsa: libertas autem indifferentiæ ita operetur, ut operationem suam suspendere possit, à mente voluntariò agente facilediscernatur, plenum denique habeat in actiones suas dominium: propterea libertas

indifferentiæ

Indifferentiæ potiori iure libertatis nomen meretur, quàm libertas complacentiæ. Unde, missâ libertate complacentiæ, de solâ libertate indifferentiæ deinceps agemus.

Dices 1. Libertas est facultas sui arbitra : at libertas complacentiæ non est facultas sui arbitra, quandoquidem tanta necessitate in obiectum fertur, ut non ferri nequeat. Ergo non est libertas.

Negatur minor : licet enim bonum propositum, v. g. infallibiliter prosequatur : ipsique adeo arcte adhaereat, ut ab eo dimoveri non possit : quia tamen, antequam adhaereret, poterat absolute non adhaerere : quia seipsam ad eius prosecutionem ex attentâ consideratione determinavit : quia ipsius fruitione suavissime afficitur : inde est, quòd huiusce prosecutionis & adhaesionis arbitra censetur.

Dices 2. Vbi maior lubentia, maiorque operationis facilitas, ibi maior libertas. At in actibus complacentiæ, in amore, v. c. quo beati Deum complectuntur, maior est lubentia, maiorque facilitas, quàm in actibus indifferentiæ. Ergo libertas complacentiæ est potius libertas, quàm indifferentiæ.

Dist. maî. Vbi maior lubentia &c. ibi maior est libertas, complacentiæ, concedo, Indifferentiæ, nego : siquidem libertas proprie dicta non est metienda ex intentione actus liberi, & operandi facilitate, sed ex dominio facultatis in actum.

Dices 3. Deus est summè liber. At in eo nulla est ad operandum indifferentia : cum semper sit in operando determinatus. Ergo vera libertas non consistit in indifferentia.

Responderi potest cum quibusdam veteribus Philosophis, Deum esse summè liberum libertate complacentiæ : sed non esse summè liberum libertate indeterminationis. Sed respondendum potius, duo esse in Deo actionum genera, alias internas, quæ in Deo ipso terminantur : alias externas, quæ ad creaturas exeunt. Prioris generis est amor, quo Deus seipsum complectitur : posterioris est decretum, quo definit, v. hoc, vel illud, aliquando fiat &c. Prioris generis sunt quidem necessaria : a posteriores sunt liberrimæ. Verùm, an notio libertatis proprie dicta sit in indifferentia, accuratius expendetur, cum de forma libertatis.

Ex dictis elucescit, quantum tres sententiæ circa naturam libertatis supra adductæ consentiant in se, vel dissentiant. Quando primo constituit libertatem in spontaneitate rationali, hoc immunitatè à coactione, loquitur de libertate generatim sumptâ, vel de libertate lubentis : non negat autem admittendam esse aliam libertatem, nempe indifferentiam, cuius ratio posita sit in potestate ad vnumliber. Sic

enim eâ de re Augustinus lib. 1. tractat. cap. 15. *Anima quidquid faciat, si natura, non voluntate, facit: id est, si libero, ad faciendum & non faciendum, motu animi caret: si denique hâc abstinendi ab opere suo potest nulla conceditur: peccatum carum tenere non possumus.* Istam tamen eisdem lib. cap. 21. libertatem in voluntatis lubentia constituit, quando sic loquitur: *Cum enim hoc sit in potestate, quod cum volumus facimus, nihil tam in potestate, quam ipsa voluntas est.* Sic Thomas quæst. 24. de veritate art. 1. *Respectu finis habemus nos liberam voluntatem: sed non liberum arbitrium proprie loquendo: cum non cadat sub electione.* Quibus, verbis significat duplicem esse libertatem, aliam finis, quæ est libertas complacentiæ: aliam mediorum: quæ est libertas indifferentiæ. Sic quoque Iansenius de gratia Christi Salvatoris lib. 6. cap. 37. *Itaque, ex res ex suis principiis constat, responderi ulterius potest, potentias rationales, qualis est intellectus & voluntas, ita se habere ad opposita, ut tamen, eum agendum est, non eis repugnet, sed maxime conveniat, ad alterum per proprium appetitum determinari.* Is tamen toto eo libro contendit libertatis essentiam sitam esse in spontaneitate rationali.

Quando secunda opinio pettendit notionem libertatis constituentem esse in potestate ad opposita, loquitur de libertate indifferentiæ: exterum non negat libertatem genericè sumptam dici posse, immunitatem à necessitate, duasque esse illius species; nempe libertatem complacentiæ & libertatem indifferentiæ. *Deinde liberae natura, inquit Gonetus Theologiæ Thomisticæ tom. 3. tractat. 2. subdistinguitur in libertatem spontaneitatis, seu complacentiæ, & in libertatem indifferentiæ, seu contingentiæ. Prima dicit solam immunitatem à violentiâ & coactione, &c. Secundo non solum importat immunitatem à violentiâ & coactione, sed etiam à necessitate absoluta, & à determinatione ad unum, &c.* interdum liberum, inquit Herbordius Collegij Ethici disput. 11. *accipitur pro eo, quod non cogitur, &c. Interdum accipitur pro eo, quod est expertus naturalis necessitatis, quod tale est, ut in sua se potestate, agere quod agit, & illud non agere.* Verissimè igitur doctor Pontificus, nomine de Bon-lieu, qui libellum de gratia Christi victrice aduersus Molinam conscripsit, libelli huiusce pag. 401. pronunciat, Augustini discipulos, hoc est Iansenianos, cum omnibus Thomæ discipulis consentire circa libertatis essentiam, hosque & illos non aliam indifferentiæ à libertate explodere, quam Molinianam. Non minùs verè etiam eruditissimus Ludovicus le Blanc, in Academia Sedanensi Theologiæ Professor, non minus verè, inquam, asserit nullum esse reale dissidium inter Reformatos illos, qui libertatem constituent in immunitate à coactione: & alios, qui eandem collocant in indifferentiâ, imò utroque idem in hoc negotio sentire cum



recentioribus Thomistis. *Indidem quoque apparet, inquit Thebanus de libero arbitrio, parte 3. Thesi 13. facile componi posse diffidium, quod adhuc super esse videtur inter doctores Scholæ Reformatæ: dum alij, scilicet affirmant libertatem arbitrij, includere quandam agentis liberi indifferentiam, per quam, positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere, vel non agere, hoc aut illud agere: alij verò negant ealem indifferentiam libertate includi, aut ad libertatem omnino pertinere. Item Thesi 29. Ex omnibus antem, hisce manifestum est, Reformatorum hac in parte doctrinam recte expositam atque intellectam, & ex mente eorum, à quibus proponitur, reipsa non differre à sententia eorum, qui in Scholâ Romana recentiores Thomistæ appellantur.*

Quantum ad tertiam opinionem, nec cum duabus præcedentibus, nec cum ratione, componi posse videtur. Statuit quidem libertatem sitam esse in indifferentia; at huius indifferentiæ limites latius extendit, quam prima & secunda opinio. Indifferentia primæ & secundæ opinionis est indifferentia dictamini intellectus practico, vel saltem præmotioni diuinæ subordinata; at indifferentia tertiæ est plena agendi vel non agendi potestas, quæ omnem determinationem alienam excludit. Prior est indifferentia determinatione gratis temperata; posterior est indifferentia effrenis, quæ pro libitu gratiam vel admittit, vel respuit. Prior aliquo respectu dici potest facultas, quæ, positis omnibus ad agendum prærequisitis (nempe convenienti sui dispositione, decreto diuino, intellectus dictamine &c.) potest agere & non agere: quia scilicet sub omnibus illis, quibus ad actum infallibiliter determinatur, retinet facultatem ad negationem actus: at posterior est vere & proprie facultas, quæ, positis omnibus ad agendum prærequisitis potest agere, & non agere: quandoquidem ita est sui domina, ut, his omnibus positis, non solum possit non agere: sed plerunque seipsa non agat. Itaque tertia illa opinio à prima & secunda, longe discedit: nec cum veritate consentit. Creatura enim Deo ita subordinatur, ut agere nequeat, quin, actiones eius à Deo definiantur: Deus etiam sic est in operando liber, ut operationum eius efficacia à creature cooperatione pendere nequeat. Sed quantum hæc opinio discedat à vero, sursum expendetur, cum sermo de differentia essentiali libertatis recurret.

## EXISTENTIA LIBERTATIS.

*Quæd sit in nostra voluntate libertas, & multis ad arbitrium assentiri vel non assentiri possimus, adeo manifestum est, inquit Cartesius, primâ parte Princip. articul. 39. ut inter primam & maximam communiæ notiones, quæ*

*vobis sunt imata, sic recensendum.* Stoici tamen, quando voluntatem humanam ineluctabili fatorem necessitati : Astrologi, quando eandem syderum influxibus : Manichæi denique, quando mali, nescio cuius, principij, ad vitium necessariò rapientis dominio subiecerunt, libertatem sustulisse perhibentur.

Vt ut sit, vnanimi consensu admittunt alij fere omnes, vt pote scripturâ, ratione, & propriâ vniuscuiusque experienciâ, euentem & manifestam.

### ASSERTIO VNICA.

ADMITTENDA est igitur libertas. Patet 1. ex Iosue cap. 24. *Quòd si malum oculis vestris videtur colere Lebanon, inquit Iosue Israelitis, elige hodie, quem colatis, sine Deos, quos coluerunt maiores vestri, sine Deos Emorreorum, in quorum terrâ habitatis.* Iam autem vbi electio, ibi libertas; quoniam electio est liberrimus facultatis indifferentis actus. 2. Vbi pœnitentia, ibi libertas : cùm pœnitentia sit dolor ex actione quadam admissa, quæ poterat non admitti; vel ommissa, quæ poterat non omitti. At in homine est pœnitentia. Ergo & libertas. 3. Si quisquis de libertate dubitat, is illam dubitatione sua astruat, tum libertas est admittenda. Sed quisquis de libertate dubitat, eam astruit dubitatione sua; siquidem dubitatio est actus intellectus rei non assentientis, cui potest assentiri, vel non assentiri. Ergo, &c. Postremò vnusquisque in seipsum descendat, conditionemque suam attendat, ille sane se in multis liberum experietur.

Aies t. Quod Deus præscit, illud est necessarium : quandoquidem præscientia Dei falli nequit. Sed Deus omnes humanæ mentis actiones præscit : ignorantia enim est defectus. Ergo omnes humanæ mentis actiones sunt necessariæ : adeoque nulla est indifferens & hiæra.

Resp. quod Deus præscit, illud est quidem infallibile, & certò futurum : non est tamen necessarium & absolute determinatum ; siquidem ad præscientiæ diuinæ certitudinem sufficit, vt obiectum eius sit infallibiliter futurum : nec requiritur, vt à causa sua necessariò procedat. Deinde, esto, quod Deus prænoscit, illud sit necessarium ; non est necessarium necessitate absoluta, quæ libertati repugnet ; est duntaxat necessitate hypothetica, ex ipsa Dei præuisione ducta ; quæ necessitas libertatem non tollit. Quemadmodum enim cognitio, quâ quis ambulationem Petri futuram præsentit; huic ambulationi nullam necessitatem intrinsecam imponit, eò quod sit ambulatione istâ aliquomodo posterior ; sic etiam scientia, quâ Deus futura prænoscit, nullam illis

necessitatem intrinsecam inducit; sed necessario, vel contingenter, fieri finit; eò quòd ipsorum futuritionem supponat.

**Urgebis.** Deus omnes humanæ mentis actiones decreto suo prædefinit: nihil enim sit à creatura, quòd Deus ex summa sapientia sua non prædefinierit. Sed, quòd Deus prædefinit, illud est necessarium necessitate absoluta; si quidem decretum non supponit rerum futuritionem, uti præscientia; sed antecedit. Ergo, &c.

Deus quidem prædefinit humanas actiones prædefinit; verùm, cum earum existentiam non tantùm definiat, sed etiam existentie modum; cum, inquam, eo momento, quo decernit, ut fiant; decernat ut libere fiant: cum denique eo decreto homines sic determinet ad agendum; ut ipsis relinquat potestatem ad non agendum; decretum necessitatem absolutam in actiones humanas non inducit, etsi antecedit.

**Instabis.** Deus ad actiones hominum concurret, non solum concursu quodam simultaneo, quo eos adiuvet, sed etiam influxu prævio, quo ad agendum impellit & determinat: Nam ex Prouerb. cap. 21. *Cor Regis est in manu Dei, flebit quòcumque vult.* Ergo est solus actionum humanarum arbiter; nullamque hominibus potestatem in suis actus reliquit.

Sunt, qui influxum illum prædeterminantem in actionibus humanis nullatenus admittunt; eò quòd hominis libertatem perimere videatur. Verùm ea est plerunque hominis *ineptitudo* ad operandum, ut nunquam sit operaturus, ni Deus prævio quodam influxu ipsam sollicitet & præmoueat. Rectius igitur sentiunt, qui hunc admittunt, & cum libertate componi posse perpendunt. Deus eo quidem influxu humanas facultates in seipsis torpentes excitat ad operandum; at torpor ille est præternaturalis, cum ad operandum sint ex natura sua ordinatæ. Eodem influxu flebit, quòcumque vult; at flebit suavissime, & flebit, quòd flekti volunt. Eodem ipsas determinat; sed se condeterminant. Eo denique earum indifferentiam tollit; sed extrinsecam tantùm, & negatiuam; non verò intrinsecam & positiuam, in qua essentia libertatis est sita. Absit igitur, ut hæc præmotio libertatem lædat: quin contrà auget & perficit. De consensu libertatis cum prouidentia vobis deinceps.

**Aies 2.** Mens semper actu cogitat, cum sit essentialiter cogitans. Ergo nunquam est indifferens ad operandum & non operandum, adeoque nunquam libera.

Mens nunquam ita est otiosa, ut nullo modo operetur; proindeque nunquam est indifferens ad agendum in genere, & non agendum; sed, eam continuò ab una cogitatione ad aliam moueatur, est indifferens

ad hanc vel illam actionem, eiusque carentiam: quod sufficit ad libertatem.

Premes. Nullus est hominis status, in quo habitibus pravis, vel bonis, non sit instructus. Sed pravi ad vitium, boni ad virtutem, necessariò determinant. Ergo nullus est status, in quo sit liber & indifferens.

Cùm habitus sunt perfecti, necessariò determinant ad actionem sibi consentaneam. Sic damnati, v. c. pravitatis suae, ad malum ita determinantur, ut non possint non male agere; ac quando sunt imperfecti, & habitibus oppositis permixti, tum ad actiones sibi homogeneas necessariò non determinant. Unde, qui variis habitibus imperfectis est affectus, aliquando ex vno, aliquando ex alio operatur. Cùm itaque habitus hominum in hisce terris semper sint imperfecti, & singuli habitibus contrariis admixti sint; inde fit, ut homines ex habitibus suis ad vnum necessariò non determinentur. Præterea, siue habitus sint perfecti, siue imperfecti, nunquam ad agendum prædeterminant. Inclinant equidem facultatem ad hanc vel illam actionis speciem, adeoque potestatem ad actus contrarios, & libertatem contrarietatis minuunt: Sed ad ipsum actus exercitium non præmouent, quoniam facultati potius suboperantur, quàm præoperantur; ac proinde indifferentiam ad agendum & non agendum, in qua essentia libertatis consistit, non labefactant.

Aies 3. Si mens humana sit libera; vel erit, quando operatur, vel antequam operetur. Sed non est, quando operatur, quia est ad operationem determinata. Non est quæque, antequam operetur; quia ante operationem est ad non operandum determinata. Ergo nunquam est libera.

Mens est libera, & antequam operetur, & quando operatur. Est libera, antequam operetur, quia, quemadmodum libere quiescit, ita potest se libere ad operationem scètere. Est pariter libera, quando operatur; quia, priusquam se determinaret, poterat se non determinare: quia quemadmodum se ad actionem determinavit, ita potest actionis suæ cursum suspendere, quemadmodum denique sub operatione habet facultatem operandi; ita quoque habet & non operandi. *Dicendum est ergo, verba sunt Aluaris huic obiectioni occurrentis, voluntatem nostram vere esse liberam, comparatione volitionis aut nolitionis, quàm elicit, quolibet momento vel instanti temporis; effèque vere liberam non solum ea ratione, quia prius natura, quàm se determinaret ad alteram partem, poterat seipsam non determinare ad eandem partem, sed ad oppositam: nec solum esse liberam, quia potest continuare, vel desistere ab operatione, quoniam*

*producit in instanti presentis temporis ; sed etiam, quia in instanti temporis, quo elicit suam operationem, veram retinet potestatem & facultatem, quæ possit eam non elicere, si velis, aut etiam elicere operationem contrariam.*

Sed de re apud omnes confessa nimis. Si enim Suarezio, Riucto, Rhetorforti, multisque aliis fides habeatur, Stoici libertatem humanam fato suo non sustulerunt. Suarez enim Metaph. disput. 19. sect. 2. asserit voluntatem humanam à fato excepisse : Riuctus verò Summæ Controuers. tractatu 4. quæstione 6. Rhetorfortis disputationis Scholasticæ de providentia diuina, cap. x. contendunt illos per fatum nihil aliud intellexisse, quàm efficaciam diuinæ voluntatis, quæ, vt omnes norunt, amicè cum libertate conspirat. Quantum ad Astrologos & Manichæos, cum humanam voluntatem cælorum influxibus, vel Malæ cuiusdam Animæ imperio subiecerunt, illi forsitan nihil aliud voluerunt, quàm, quòd astrorum influxus & Animæ Malæ imperium mentem humanam ad actiones huius vel illius generis inclinent; non verò, quòd ad hoc vel illud agendum necessariò præmoueant & determinent. Si ita sentiant, tolerari possunt; in eo tamen damnandi videntur, quòd quandam fati speciem induxerint, illique fato homines subiecerint.

### **OBIECTVM LIBERTATIS.**

Ex obiecto natura actus, ex actu conditio facultatis dignoscitur; propterea assertæ iam libertatis essentiam fusiùs explicaturi ab obiecto illius ordimur.

Inter varias humanæ mentis facultates eminent intellectus & voluntas. Libertas est vtriusque huius facultatis prærogatiua. Cum itaque intellectus obiectum sint verum & falsum, voluntatis bonum & malum; inde sequitur libertatem hæc omnia respicere. Cum tamen quælibet intellectus & voluntatis actiones non sint liberæ, illa non possunt indeterminate obiectum libertatis censeri.

Verum est duplex; simplex, quod simplici perceptione intelligitur; & complexum, quod menti diiudicandum objicitur. Prius non est obiectum libertatis; ea enim est connexio inter intellectum & eiusmodi obiectum, vt hoc intellectui conuenienter proponi non possit, quin continud percipiatur. Quoad posterius, quandoquidem intellectus plerunque ita illi assentitur, vt dissentire possit; etiamsi conuenienter applicetur; inde fit, vt obiectum libertatis censeri debeat.

Idem proportione de falso dicendum. Falsum non est equidem directum libertatis obiectum, quia tamen sic animo respuendum proponitur, vt possit non respuì, idcirco libertatis obiectum haberi potest. Itaque falsum simplex, (si saltem eiusmodi falsum detur) non est ob-

iectum auctus liberi : quandoquidem menti oblatum necessarid perel-  
pitur : at complexum esse potest : plerunq; enim intellectus ita ipsi  
dissentit, vt possit non dissentire.

In boni prosecutione, malique auersatione, libertas singulari qua-  
dam ratione elucet. Bonum est duplex, summum & subordinatum.  
Prius dicitur finis, quia eo semel adepro voluntas plane quiescit, sem-  
perque est irrequieta, donec in eo conquiescat. Posterius vocatur me-  
dium, quia in finem ducit. Medium rursus est duplex: aliud necessa-  
riam habet cum fine connexionem : vt virtus in genere : hæc enim aded  
necessaria est ad fœlicitatem, adeoque arte cum fœlicitate coniuncta:  
vt virtute præditus miser esse nequeat : aliud verò habet contingen-  
tem : vt opes, amici, &c.

Summum bonum non est obiectum libertatis: tantâ enim efficacis,  
sanctæque vi voluntatem ad se rapit, vt menti semel propositum non  
possit non intendi. Quoad subordinatum, si cum fine vltimo necessa-  
riam connexionem habeat: non est proprie obiectum libertatis: quan-  
doquidem cognosci nequit, quin continuò eligatur. Et de tali bono  
intelligendum venit vulgarum axioma: Qui intendit finem, intendit &  
media. Quòd si necessariam non habeat, sum est verum libertatis ob-  
iectum. Hinc tanta affectuum humanorum circa diuitias, amicos, ho-  
nores, &c. inconstantia, tantâque varietas. Nullum est ex his omni-  
bus bonis, quod voluntatem explere cogat, propterea homines anxie  
querunt in multiplicitate, quod in vno non reperiunt: indèque tanta  
affectuum mutabilitas.

Malum, vti de falso dictum est, non est directum libertatis ob-  
iectum: quandoquidem tamen voluntas ipsum ita auersari potest, vt  
possit non auersari, eapropter libertatis obiectum statui potest: Aliud  
est summum, aliud limitatum. Voluntas summum eadem necessitate  
auersatur, quâ fœlicitatem prosequitur: proindèque illius respectu  
non est facultas libera, sed spontanea & naturalis. Quoad limitatum,  
si quando ipsi obijciatur, ita ipsum auersatur, vt possit auersationem  
suspendere: eò quòd certum fœlicitati suæ detrimentum inde non  
reformidet. Obiectum libertatis sic determinandum nobis videtur.  
Succedunt actiones.

### ACTIONES LIBERTATIS:

**HUMANÆ** mentis actiones sunt triplicis ordinis, naturales seu  
spontaneæ, voluntariæ, & liberæ. Spontaneæ sunt, quæ à mente ex in-  
sensatione naturali procedunt, nullâ cognitione, aut factæ leuissimâ.  
præcunte.

præcunte ; vt perceptio obiecti alicuius inopinatò occurrentis : substantia voluptatis alicuius velleitas. Iam autem, cum mens humana inter res creatas adeò excellat, vt nulla appareat, quæ ipsam cogere, & aduersus inclinationem propriam mouere possit ; nulla occurrunt in ea actiones coactæ, quæ spontaneis illis opponantur. Voluntarie sunt, quæ à mente procedunt ex rationis directione, sine indifferentia ad vtrumque oppositorum. Hæ sunt naturales & necessariae, non secus ac spontaneæ ; sed à spontaneis distinguuntur, quòd ex maiori aduertentia, & plerunque ex rationis iudicio, eliciantur ; vnde etiam liberæ plerunque censentur ; sed libertate complacentiæ. Tales sunt, ex. gr. assensus huius principij, *omne totum est maioris suâ parte* ; reflexa rei alicuius consideratio ; amor summi boni, &c. Quandoquidem mens non est plenè sui domina, obiectaque ipsam aliquando rapiunt, antequam illorum veritatem, vel bonitatem, perpenderit ; idcirco, quemadmodum nonnullæ eius actiones sunt voluntariæ, sic & nonnullæ sunt surreptitiæ, & inuoluntariæ. Liberæ sunt quæ à mente ita procedunt, vt procedere non possint. Hæ cum voluntariis conueniunt, quòd ex intellectus aduertentia, & cognitione distinctâ producantur ; sed ab iis in eo secernuntur, quòd voluntariæ sint necessariae, liberæ verò sint contingentes. De liberis iam sermo est :

Liberæ aliz sunt elicitæ, aliz impetratæ. Priores sunt, quæ à facultate essentialiter libera immediatè eliciuntur : posteriores, quæ à facultatibus libertati subordinatis ex imperio libertatis, vel ab ipsa libertate, ex sui ipsius præscripto, exercentur, vt collatio elemosynæ, quæ à manu ex voluntatis imperio ; dilectio proximi, quæ à voluntate ex intellectus diuisione proficiscitur. Elicitæ sunt propriè huius loci.

Ex his, aliz spectant intellectum, aliz voluntatem. Actiones intellectus in genere sunt perceptio & iudicium. Cum omnis perceptio vel ab obiecto intellectui immittatur, vel ex voluntatis imperio in eodem excitetur ; nulla propriè est libera & indifferens. At de iudicio idem non censendum. Iudicium, siue circa verum, siue circa bonum, feratur, est duplex, perfectum & imperfectum. Prius est plena mentis ; posterius est leuis & præceptis eiusdem, circa rem propositam determinatio. Quandoquidem prius ex attenda rei consideratione procedit ; & ita procedit, vt possit non procedere, inde sequitur esse liberum & indifferens. Quoad posterius, cum sit præceptis animi commotio, quæ subito lucis cuiusdam appulsu excitata attentam animi considerationem præuertit, liberum haberi non potest.

Actiones voluntatis ad trës vulgò reuocantur, ad volitionem, noliotionem, & actus suspensionem. Sed, cum prima sit volitio, vt res sit, secunda vt non sit, tertia vt alius actus non adsit, omnes volitionis.

nomine donari possunt. Volitio itaque est duplex, velleitas & plena volitio. Velleitas est levis voluntatis motio, ad boni vel mali appulsum subito excitata. Hæc tam cæteri potest passio voluntatis, quàm ipsius actio; prius sæpe evanescit, quàm mens eam senserit, adeoque indifferens & libera cæteri nequit. Volitio est determinata voluntatis in bonum propensio. Alia est finis, alia mediolorum. Prior dicitur intentio, posterior electio. Quandoquidem finis, siue summum bonum, tantâ suavitate voluntatem afficit, ut non possit non amari; volitio illius non est libera. Quoad volitionem mediolorum, cum unuscuiusque seorsim spectati utilitas sit limitata; unumque sit altero convenientius ad finem assequendum; acceptatio unius præ altero non potest non esse contingens.

Hæ sunt omnes actiones, quæ nobis liberæ videntur. Si qui sint, qui plures, vel pauciores recenseant, illi libertatem, vel latius, vel angustius, quàm nos, usurpant. Cæterùm quousque libertas extendenda nobis videatur, fusius declaratum imus.

### LIBERTATIS SEDES.

LIBERTAS est rei liberæ affectio; cuiuslibet affectionis formaliter sumptæ sedes datur; cui proximè inest. Proxima igitur libertatis sedes est inuestiganda.

Bonaventura, Thomas, Bannes, &c. quorundam meminerunt, qui arbitrati sunt libertatem non esse solius voluntatis, vel intellectus, prærogativam; sed aliis etiam animæ, tum sentientis, tum intelligentis, facultatibus convenire. Verùm, cum doctorum illorum nomina non expriment; & probabile sit illos hæc tantùm voluisse, libertatem non esse voluntati, vel intellectui, ita propriam; quin umbra quædam illius ad facultates voluntati subordinatas inde detinetur; propterea omnes authorum de subiecto libertatis opinioniones ad tres reuocamus.

Prima est eorum, qui libertatem in solo intellectu collocare videntur. Ita Durandus, si fides habeatur Stephano de Melles, Ethicæ general. tractat. 1. quæst. 2. Ita Paludanus; si Francisco le Rees, disput. 2. Ethicæ, sect. 1.

Secunda illorum, qui in sola voluntate constituunt. Ita Henricus in 1. quodl. quæst. 16. Scotus in 2. sentent. distinct. 25. Si Bellarmini tom. 4. Controuers. lib. 3. cap. 7. Zanardi lib. 9. Metaph. quæst. xl. testimonio stemus.

Tertia denique est aliorum omnium, qui tum in intellectu, tum in voluntate constituunt. Sed ex his quidam volunt, eam æqualiter in



utroque federe. Sic Cartes. Princip. Philosoph. parte 1<sup>a</sup> articuli. 37. 38. 19. Sic Ludovicus la Forge tractat. de mente humana, cap. xi. Hi quidem aiunt libertatem soli voluntati inesse, sed sub voluntate comprehendunt, & voluntatem, & intellectum ipsum, prout obiecta diiudicat. Sic Alexand. Morus de libero arbitrio disput. 1. thesib. 23. & 24. Sic Derodon disput. de libert. cap. 4. Alij concedunt quidem illam esse in intellectu & voluntate; sed contendunt peculiari quâdem ratione intellectui inesse; eò quòd intellectus voluntati in actionibus suis præluceat, eamque pro varietate iudiciorum suorum variè flectat. Sic Gassendus operum suorum volum. 2. lib. de libertate, fortuna, &c. Sic Amyraldus tractat. de libero arbit. sect. 1. Alij denique concedunt eam esse in voluntate & in intellectu; sed in voluntate formaliter & consummatè; quia nempe voluntas est verè actionum suarum dominas in intellectu verò radicaliter tantùm & inchoative; quia, licet intellectus voluntati in actionibus præat, is tamen ab obiectis necessariò determinatur. Sic Thomas 1. part. quæst. 83. Alvarez de auxili. disp. 115. Soncinas 9. Metaph. quæst. 18. Fonseca 9. Metaph. cap. 2. quæst. 2. Arriaga disput. 8. de anima, sect. 2. Item ex nostris, Valæus Ethicæ Christianæ parte 2. Robert. Baronius Metaph. general. sect. 12. Vendelin. Philosoph. Moral. lib. 1. cap. 4. quæst. 14. Cregutus Systhematis Theologici tractatu 2.

Quid de controuersia præsentī sentiamus, ex sectione præcedenti satis constat; res tamen luculentius ostendenda est. Utque plene pateat, tria præmittenda videntur, intellectus & voluntatis explicatio, distinctio vtriusque, & operandi modus.

Intellectus est mens ipsa, prout verum diiudicat. Voluntas verò est eadem, quatenus bonum amplectitur, aut malum respuit. Cùm enim mens per seipsam verum dignoscere, bonumque amplecti valeat, facultatibus à se distinctis non eget, quibus hoc præstat.

Intellectus igitur & voluntas sunt vnum & idem, diuersa connotans, in duo, propter diuersam illam connotationem, distinctum. Si verum connotat, intellectus; si bonum, voluntas appellatur. In seipso autem est vnum & idem, nempe mens humana. Reuera, cùm voluntas non feratur in bonum cæco impetu; sed ipsum prænoscat, necesse est, ut sit intelligendi facultas. Cùm deinde intellectus obiecti suauitate afficiatur, eoque delectetur; delectatio autem, seu complacentia, sit affectio voluntatis, necesse est vice versâ, ut intellectus sit volendi facultas. Denique, cùm intellectus & voluntas nullam actionem eliciat; cuius singula scorsim non sint conscia; conscientia autem sit intellectio; inde deducitur singula scorsim sumpta esse substantiam, intelligendi simul & volendi

virtute præditam. Imò tanta est inter intellectum & voluntatem identitas; ut actiones voluntatis nihil aliud esse videantur, quàm actiones intellectus continuatæ, aut repetitæ. Quando enim intellectus bonum confusè apprehendit, continuò voluntas dulcedine eius afficitur, isque affectus ab apprehensione intellectus tam parum differt, ut vix ab ea distingui possit. Cùm deinde intellectus bonum distinctius cognoscit; voluntas in ipsum plenius inclinatur; hæcque inclinatio distinctæ illi cognitioni ita coheret, ut prorsus idem esse videatur. Denique, cùm intellectus, omnibus pensatis, pronuntiat ultimo dictamine, bonum esse hîc & nunc amplectendum; tum voluntas plenè determinatur, ipsumque sine hæsitacione vlla prosequitur, isque voluntatis consensus ab intellectu dictamine ita parum differt, ut non aliud videatur, quàm dictaminis huius continuatio. In eam rem sic Thomas, ex Aristotele 6. Ethic. *Idè Aristoteles*, inquit prima parte, quæst. 83. articul. 3. *sub dubio relinquit, utrum principalius pertineat electio ad vim appetitivam, vel ad vim cognitivam. Dicit enim quòd electio est intellectus appetitivus, vel appetitus intellectivus.* Quibus significat in boni prosecutione electionem voluntatis cum intellectu proposito ita coherere, ut vix discerni queant.

Vt ut sit, hic est naturalis processus mentis in boni prosecutione. Intellectus bonum apprehendit, eodèque momento voluntas leuissimo eius sensu afficitur. Intellectus iudicio generali, vel conditionato, pronuntiat bonum esse amplectendum; voluntas in ipsum plenius inclinatur. Intellectus denique iudicio speciali & absoluto dicit idem bonum hîc & nunc esse amplectendum, voluntas plenè amplectitur. Vnicuique igitur intellectus operationi suæ respondet ex parte voluntatis actus, illi adèò intime coherens, ut idem videantur. His de intellectu & voluntate prælibatis, quæstionem propositam sic resolvimus.

### ASSERTIO PRIMA.

**VOLUNTAS** est formaliter libera: Omnes eius actiones non sunt equidem liberæ; cùm multæ sint duntaxat spontaneæ, multæ voluntariæ; at permultæ sunt liberæ & indifferentes. Electio, ex. gr. est actio voluntatis, ex pluribus mediis ad certum quendam finem ducentibus, vnum aliquod adoptantis. Annon hæc actio est liberrima? 1<sup>o</sup>. Eafacultas est libera; quæ in alias omnes dominatur; voluntas autem in alias omnes animi facultates dominatur, cùm eas ad nutum moueat & hæbeat.

Ais, facultas libera est cognitione prædita, secus impulsu cæco ferretur: at voluntas formaliter sumpta, & ab intellectu præcisa, non est cognitione prædita, quandoquidem intellectus luce dirigitur. Ergo, &c.

Hæc difficultas grauiſſima foret, ſi voluntas à mente realiter diſtingueretur; verùm, cum non diſtinguatur, mēſque nullum vnquam obiectum voluntate proſequatur, quin ipſum intellectu prænouerit, facile ſoluitur. Ad facultatis alicuius libertatem ſufficit ſuppoſiti, cui facultas ineſt, cognitio; quandoquidem cognitio illa à ſuppoſito in facultatem, ad actionum ipſius directionem, facile deriuatur. Quamuis igitur voluntas ex ſe cognitione deſtituta foret, quoniam in eo caſu luce mentis dirigeretur, idè libera cenſeri poſſet. Sed nec voluntas deſtituta eſt luce propriâ; non poteſt enim ſic ab intellectu præſcindi, quin ſemper cognitionem includat. An ſcilicet ad intellectûs arbitrium ſe ſe flexere poterit, niſi dictamen eius audiat, atque aded cognoscat. Inſtrumenta pure paſſiua, vt malleus, enſis, ſagitta in ſcopum ab arcu emiſſa, poſſunt quidem luce prorfus alienâ dirigi; quia mouentur; at voluntas non poteſt; quia ſeſe mouet.

Ais rursus, voluntas non poteſt agere, quin intellectus præſcripſerit, quid ſit agendum, ſecus ſine ratione ageret. Ergo pendet ab intellectu, nec eſt actionis ſuæ domina.

Quamuis voluntas non poſſit agere, quin intellectus definiat, quid agat; eſt tamen libera; quia, quod ab intellectu definitur, id à voluntate ipſa definitum cenſeri debet, eò quòd ſint vna & eadem facultas. 20. Vbi ſemel intellectus præſcripſit, quid ſit agendum: ſi voluntas in id inclinât, lubentiſſimè inclinât. 30. Voluntas intellectus præſcripto ſic annuit, vt renuere poſſit, imò plerumque renuat. Intellectus enim voluntati præit, vt conſiliarius, non vt dominus. *Vt aduerſo flumine nauigium ſæpe contendit, quod ſine aqua non efficeret: ſic voluntas non poteſt ferrè in incognitum, cognitioni tamen uſquequaque non alligatur.* Claudius Berigardus in circulis Piſanis, circulo xi. in 8. Phyiic.

Inſtas: Intellectus in dirigenda voluntate ſic ſolet procedere. 1. bonum apprehendit; 2. iudicat in genere eſſe conueniens; cum aliis bonis confert, & pronuntiat eſſe conuenientius: poſtremò ſtatuit ipſum hîc & nunc eſſe amplectendum. Dum ipſum nude apprehendit, vel iudicat tantùm eſſe conueniens, aut aliis conuenientius: voluntas poteſt eius iudicio reluctari: verùm, ubi ad dictamen *practico* *practicum*, vt vocant in ſcholis, deuentum eſt, quo intellectus, omnibus penſatis, pronuntiat bonum hîc & nunc abſolute amplectendum eſſe, voluntas non poteſt reluctari. Ergo non eſt libera.

Nullum eſt intellectûs iudicium in particulari, quantumuis ſit *practico* *practicum*, cui voluntas non poſſit repugnare. Videmus paſſim meliora, probamus, & tamen deteriora ſequimur. Quòd ſi voluntas plerumque iudicium intellectus inuitabiliter ſequatur, hoc aduerſitatæ

cuidam feuitati : non naturæ, seu conditioni essentiali, est imputandum. Denique, licet voluntas ab ultimo intellectu iudicio determinaretur, non propterea non esset indifferens & libera, eo quòd iudicio ad plura indifferenti determinaretur : vt apposite obseruat Riuetus operum suorum volum. 2. tract. de lib arb. art. 18. *Non detrahatur, inquit, propterea aliquid vera libertati voluntatis, quæ in eo non consistit, vt possit agere contra vltimum intellectus dictamen ; sed tantum, vt ab ea potentia moneatur, quæ non est determinata ad vnum, sed ad plura indifferens. Tunc enim etiam in illo actu, quo voluntas sequitur vltimum intellectus iudicium, libertatem suam retinet ; quia, sicut ei proponi poterat obiectum ab intellectu sub alia ratione, sic & ipsa poterat aliud eligere. Imò propterea libera est in eligendo, quia ratio ex pluribus, circa qua erat indifferens, indicauit hoc eligendum.*

Ais postremò, voluntas beatorum, Deum in cælis contemplantium, non est libera respectu amoris diuini. Ergo voluntas non est formaliter libera.

Sunt, qui velint voluntatem humanam esse essentialiter liberam libertate contradictionis respectu cuiusuis obiecti, adeoque voluntatem beatorum habere in cælis libertatem illam, etiam respectu amoris diuini. Concedunt quidem beatos non posse Deum clare visum non amare ; sed existimant ad amorem illum ex habitu charitatis sibi infuso, non verò ex naturæ suæ cõditione, determinari : proindeque ipsos ex natura sua ad hunc amorem esse indifferentes. Sed alio modo respõdendù videtur. Licet ea sit humanæ voluntatis dignitas, vt nullius boni creati suauitate necessariò determinetur ad eius amorem : tanta est summi boni efficacia, vt plenè percipi nequeat, quin voluntatem ad se alliciat. Itaque si voluntas consideretur respectu summi boni, non est indifferens. Solâ complacentiæ libertate eo respectu fruitur.

## ASSERTIO SECUNDA.

**I**NTELLECTVS quoque est formaliter liber, minùs tamen, quàm voluntas. Prius patet ; quia intellectus est facultas ad agendum se se ita determinans, vt nullius alterius rei creatæ dominio & determinationi sublit. Vnde Basilus in Psalm. 61. *Cuiuslibet nostrum, inquit, imòs statera quadam est à conditore omnium apparatus, per quam rerum naturas possit appendere, bonumque à malo discernere.* 2. Vbi consultatio, ibi est libertas ; quia consultatio est actio facultatis, varia media ad finem assequendum idonea, inter se conferentis, & magis idoneum acceptantis. In intellectu autem est consultatio. Ratio posterioris est, quia voluntas plus dominij habere videtur in intellectum, quàm intellectus in vo-

**Inertatem.** Quoties enim voluntas imperat intellectui, imperio saltem absoluto, cum quodam modo flectit ad assensum: sed quoties intellectus imperat voluntati, non flectit ad consensum.

**Aies 1.** In intellectu species quædam coactionis occurrit. Ergo non est liber. Antecedens constat: licet enim intellectus in actibus elicitis cogi non possit, si in seipso præcise consideretur, eò quod semper intelligat iuxta propensionem naturalem; si tamen consideretur, ut est facultas huius vel illius suppositi, sæpissime cogitur: quando scilicet apprehendit, quæ suppositi huius inclinationi sunt contraria. Sic dæmonum intellectus iusticiam diuinam inuite apprehendit: sic peccatores peccatorum suorum inuite reminiscuntur, &c.

Huic difficultati multis modis occurritur. 1. Voluntas eodem modo sæpe cogitur; sæpe enim multa vult, quæ suppositi inclinationi repugnant; ut quando affectuum impulsu in malum pertrahitur aduersus conscientie dictamen: voluntas tamen est liberrima. 2. Si intellectus quædam aliquando intelligat, vel dijudicet, innatæ suppositi sui propensionis contraria; intelligit simplici perceptione, aut dijudicat iudicio fluctuanti & imperfecto: quorum actuum respectu libertatem intellectui nequaquam adiudicamus. 3. Si intellectus hæc coacte apprehendit, eiusmodi apprehensiones ex affectibus inordinatis, & habitibus prauis, quibus est præpeditus, non ex essentiali illius conditione, proficiuntur.

**Aies 2.** Intellectus est facultas passiva, quæ determinatur ab obiecto. Ergo non est liber.

Negatur antecedens; intellectus potest quidem aliquomodo censerī facultas passivo-actiua; quia ut plurimum non intelligit, quin rei intelligendæ speciem aliunde exceperit; at non est facultas pure passiva, quandoquidem se ad intellectionem determinat. Plerique modum quo mens ad agendum excitatur, sic animo suo informant. Arbitrantur mentem, antequam ad hanc vel illam actionem excitetur, pure otiosi; & deinde, cum excitatur, instar trunci cuiusdam inertis, impulsu physico ab obiectis, vel à Deo, præmoueri. Si res ita se haberet, esset facultas passiva: verum, ne vno quidem momento otiosi potest, quia intereat; obiectaque in ipsam alio modo non agunt, quàm, quod sui præsentia huc vel illuc operationis eius cursum alliciant; ideoque facultas passiva reputari nequit. Porro, etsi obiecta eam ad agendum necessarè præmouerent; cum ad perceptionem solum præmoueant, nec ad assensum, vel dissentium, determinent, nihilominus respectu iudiciorum suorum libera foret.

**Inhabis;** si verum clare intellectui apparet, non potest non assentire;

si falsum; non potest non dissentire; si neutrum; non potest non hære-  
re: Ergo neque est liber quoad iudicium.

Ea videtur esse inter intellectum & eius obiectum connexio, ut verum distincte apparere nequeat, quin continuo assentiatur; falsum, quin dissentiat; dubium, quin hæreat. Sed hæc connexio est plerumque præternaturalis, & aduentitia; inde nata, quod à teneris annis nimiam facilitate de rebus pronuntiare consuevimus. Veritati distincte perceptæ mens naturaliter non potest dissentire, nec falsitati consentire; potest tamen circa utramque assensum vel dissensum explicitum & formalem plerumque suspendere. Cum enim omnis perceptio intellectus humani sit ex naturâ suâ limitata, nullâque detur, quæ rem propositam adæquate repræsentet: inde fit, ut nulla quoque sit, (saltem quæ res naturales respiciat,) cui aliqua dubitandi ratio subesse non possit: quæque ad assensum vel dissensum necessarid nos adigere debeat. Præterea, duplex est iudicium, aliud speculatiuum, quo de rerum veritate aut falsitate pronuntiamus; ut, cælum est mobile; aliud practicum, quo de earum conuenientia vel disconuenientia statuimus; ut, virtus est colenda. Practicum rursus est duplex, aliud generale, quo de conuenientia vel disconuenientia rerum in genere decernimus, ut, scortatio est fugienda; aliud particulare, quo de conuenientia earumdem tali loco, tali tempore, &c. vel disconuenientia respectu nostri, pronuntiamus, ut, scortatio nunc est mihi fugienda. Cum statuimus intellectum liberum esse, quoad iudicium; non intelligimus proprie, speculatiuum, sed practicum, idque particulare.

Aies 3. Intellectus voluntatis imperio ita subest, ut ad eius nutum infallibiliter moueatur. Ergo non est liber.

Quemadmodum intellectus præscribit voluntati, quid sit agendum vel omittendum: ita & voluntas intellectui imperat, cui sit assentiendum, vel dissentiendum. Ut autem voluntas non sequitur infallibiliter dictamen intellectus, ita nec intellectus voluntatis imperio infallibiliter obsequitur. Plerumque enim multis assentiri vellemus, quibus non assentimur. Huc accedit, quod imperium voluntatis nihil aliud esse videatur, quàm intellectus iudicium. Etsi ergo intellectus à voluntate ad assensum infallibiliter moueretur, inde libertatem non amitteret, quia à se determinaretur. At de imperio voluntatis in intellectum & intellectus in voluntatem, dictum disput. de intellectu & voluntate.

Stat igitur libertatem in intellectu & voluntate formaliter residere: vel potius, libertatem esse humanæ mentis prærogatiuam, quæ in intellectu & voluntatis actionibus eodem fere modo elucet. Durandus & Paludanus in intellectu solo collocasse quidem videntur: verum,  
idèd.

idē collocarunt : quōd in intellectu maxime conspiciatur : ceterum non negarunt eandem in actibus voluntatis elucere. Id saltem asserit Bellarminus lib. 3. de grat. & liber. arbit. cap. 7. de Durando : Franciscus le Rees Ethicæ disput. 2. de Paludano. Henricus & Scotus in sola voluntate collocasse videntur : verum , idē collocarunt , vt innuit Fonseca lib. 9. Metaph. cap. 2. quæst. 2. sect. 3. quōd in voluntatis actionibus singulari quādam ratione appareat. Omnes igitur vnanimi consensu in intellectu & voluntate collocarunt. Quōd si quidam ex illis , vt Gassendus & Amyraldus , intellectui potius vendicent , quā voluntati : quidam contrā æqualiter vtrique asserant , consulantur atente , & patebit nullum esse , qui non concedat , ipsam voluntati potius , quā intellectui , asserendam esse. Recte igitur Rinetus doctorum eadē de re disceptationes inter λογμαχίας recenset. *Ex quibus conciliari possunt*, inquit ille operum suorum volum. 2. disput. de libero arbitrio , art. 12. λογμαχίαι de proprio liberi arbitrii subiecto , an sit iudicium an voluntas , an coniunctio sit duorum actuum , iudicij & electionis voluntatis : Cum enim ad electionem concurrat aliquid , vt Thomas loquitur 1. part. quæst. 83. ad 2. ex parte cognoscitiuæ virtutis , & aliquid ex parte appetitiuæ , & ex parte cognoscitiuæ requiratur consilium , per quod aliquid diiudicatur , quod sit alteri præferendum : ex parte autem appetitiuæ id , quod appetendo acceptetur , facultatem vtramque comprehendendi nomine liberi arbitrii constat.

### GENVS LIBERTATIS.

Cum libertas in solo intellectu , vel sola voluntate non resideat , sed vtrique illi facultati communis sit ; voluntas , vel intellectus , seorsim sumpta , non sunt genus illius : proinde aliquid vtroque generalius , vtrique tamen commune , pro genere libertatis assignandum est.

Bonauentura & Albertus Magnus voluerunt libertatem esse habitum quendam naturalem , ex intellectu & voluntate consurgentem : quoniam libertatis notio , præter nudam operandi potentiam , potentia facilitatem importat. Verum illi per habitum illum naturalem nihil aliud intellexerunt , quā facultatem expeditam , & libere operantem , vt observant Petrus à Sancto Ioseph Ethicæ lib. 2. cap. 3. artic. 1. Stephanus de Melles Ethicæ general. parte 2. tractat. 1. quæst. 2. cap. 2. Vt vt sit , quandoquidem omnis habitus ad certas tantum actiones inclinatur , libertas verò ad quascunque est indifferens : habitus non potest esse genus libertatis.

Cum itaque nihil in mente occurrat præter ipsam mentis essentiam , mentis facultates , & facultatum habitus : essentia autem mentis præcise

sumpta, nec habitus, sint genus libertatis : necesse est, vt facultas pro genere assignetur. Libertas igitur est facultas : sed, cum multa sint facultatum genera : dispiciendum, cuiusnam generis sit.

Facultas alia est Moralis, alia Physica. Moralis consistit in iure, quo aliquid nobis est licitum. Sic ambulandi, vel non ambulandi facultas vnicuique adest : quoniam nec ambulatio, nec quies legibus prohibita sunt. Physica in agendi viribus sita est : sic qui ense est instructus, potest physice alium occidere, etsi moraliter nequeat. Libertas non est facultas moralis, cum nulli male agere liceat : at est physica : cum sit assentiendi, vel dissentiendi, volendi, vel nolendi, naturalis potentia.

Facultas physica rursus triplex distingui potest : positiva : quæ est vis agendi interna : negatiua, quæ est remotio impedimentorum, quibus actio inhiberi posset : & physico-negatiua, quæ vtramque præcedentem complectitur. Libertas expeditam ad agendum, vel non agendum, hoc vel illud agendum, potestatem sonat : adeoque facultas physico-negatiua censeretur debet.

Occurres forsitan : facultates naturales omnibus ex æquo conueniunt : quia ex essentia necessario fluunt : sed libertas non conuenit omnibus ex æquo : nam alij aliis sunt liberiore : Iusti, ex. gr. in exercitio bonorum operum sunt liberiore, quam iniusti. Ergo, &c.

Oculus est facultas naturalis ; omnibus tamen ex æquo non conuenit ; nam alij aliis sunt oculatiore. Itaque facultates naturales absolute sumptæ omnibus ex æquo non conueniunt. In facultatibus naturalibus duo sunt, & facultas ipsa, & affectiones eius ; quæ sunt vt plurimum operandi difficultas, aut facilitas. Si facultates ipsæ attendantur, omnibus æqualiter ; at, si vnà cum affectionibus suis sumantur, inæqualiter conueniunt.

**Inst. Naturalia non amittuntur.** Libertas peccato est amissa. Ergo, &c.

**Negatur Min.** Libertas est quidem peccato imminuta ; cum enim ante peccatum homo ad bonum & malum liber esset ; per peccatum malo additus est. At non est plane amissa. Item libertas est duplex, alia naturæ integræ, alia naturæ solius. Libertas status integri defensione Adami est quidem amissa ; at libertas, solius naturæ, consistens in potestate ad agendum aut non agendum, hoc vel illud in genere agendum, illibata mansit. Si quando igitur Augustinus, & cum Augustino doctores Reformati, aiant liberum arbitrium esse peccato amissum, intelligendi sunt de libertate integritatis, quæ bonum & malum indifferenter spectabat : non verò de libertate naturali, quæ hoc vel illud malum, aut hoc vel illud bonum respicit.



## LIBERTATIS DIFFERENTIA ESSENTIALIS.

GVILIELMO Gibiuso, Vincentio Baronio Dominicano, & quibusdam aliis, forma libertatis humanæ sita est in amplitudine quadam hominis, eiusque supra cæteras omnes creaturas eminentia, ex firma ipsius adhæensione cum Deo ultimo suo fine, nascensibus: siue, in dominio quodam eiusdem hominis in eadem creaturas, quod ex prædicta eminentia efflorescit. Libertas iuxta hanc opinionem spectari potest, vel tanquam conditio hominis, vel tanquam facultas eiusdem, secundum conditionem illam operantis. Priori respectu, radix libertatis est subiectio hominis Deo, tanquam ultimo fini: forma, seu complementum essentialis, est eminentia eiusdem supra res omnes inferiores, in eo consistentes, quæd nulli ex illis astringatur; affectio denique est dominium in illas, iusque pro arbitrio utendi. Posteriori respectu, radix libertatis est eminentia hominis supra creaturas inferiores, forma est dominium in illas, affectio indifferentia quædam earum respectu. Ita Gibiusus de libertate, Dei & creat. lib. 1. capitib. 1. 2. 3. item 34. 35. Vincentius Baronius, tertia parte Theologiæ dogmaticæ, disput. 1. Guillelmus Camerarius, disputat select. parte 1.

Recentioribus Thomistis, pluribusque aliis, forma libertatis est immunitas à necessitate; siue indifferentia ad agendum, vel non agendum, hoc, vel illud agendum. Determinatio, siue necessitas, est duplex, formalis & actiua. Formalis est actus ipse, quo facultas ad obiectum applicatur; actiua est vis aliqua, qua facultas ad actum inclinatur, vel determinatur. Prior vulgò necessitas concomitans, posterior antecedens vocatur. Antecedens rursus, alia est externa; quæ ab aliquo agente externo; alia interna, quæ ab interna ipsius facultatis dispositione oritur. Externa iterum alia est *cogens*, quæ ad operationem inuite compellit; alia *simpliciter mouens*; quæ ad operationem suauiter flexu; siue physice moneat, vt præcursus diuinus; siue moraliter alluciat, vt præstantissimi alicuius boni pulchritudo: alia denique ad actionem *pure determinans*, vt decretum Dei, eiusque præscientia. Interna quoque est triplex, alia *pure materialis*, quæ à materia; qualis est necessitas brutorum in operationibus suis: alia *spontanea*, quæ ab intellectu infallibiliter determinante; qualis obseruatur in nullis voluntatis determinationibus; alia denique *habitualis*, quæ ab insitis habitibus, aut passione dominanti, oritur; qualis est inclinatio vitiosorum in malum. Cum huius opinionis patroni aiunt immunitatem à necessitate esse differentiam libertatis; omnem necessitatem à libertate non excludant; exter-

nam cogentem, externam necessariò allicientem; internam materialem, explodant; et ceteras fere omnes admittunt. Quoad indifferentiam; cum iidem volunt illam esse formam libertatis; variz sunt indifferentiz species: omnes autem ad libertatis essentiam non requirunt. Alia est *passiva*, alia *activa*. Passiva est carentia determinationis in subiecto variarum formarum susceptivo; talis est indifferentia materiz respectu formarum. Activa est carentia determinationis, in facultate sui ipsius determinatiuâ. Activa rursus alia est *contradictionis*, alia *disparationis*, alia *contrarietatis*. Prima est potestas ad agendum vel non agendum; diciturque indifferentia contradictionis, quia circa contradictoria, actum nempe, & eius negationem, versatur. Secunda est potestas ad hoc vel illud agendum, bonum, v. gr. amplectendum, vel respuendum. Vocatur indifferentia disparationis, quia actiones disparatas respicit. Tertia est potestas ad bonum vel malum, appellaturque indifferentia contrarietatis: quia bonum & malum spectat, quæ sunt contraria. Iam autem, quando huius opinionis defensores affirmant indifferentiam esse formam libertatis; actiuam contradictoria, vel opposita; non verò passiuam, vel actiuam contraria respicientem, intelligunt. Fatentur quidem indifferentiam contrarietatis libertati adiunctam esse, quandiu in hisce terris degimus; solam tamen contradictionis, vel disparationis, indifferentiam ipsi essentialem arbitrantur. Sic sentiunt inter plures alios Thomistas Didacus Aluares, lib. 11. de auxil. diuinæ gratiæ disput. 116. Petrus de Ledesma, de diuinæ gratiæ auxil. articul. 10. Iohannes à Sancto Thoma, tractat. de anima, quæst. 11. articul. 2. Gaspar Ram, tractat. de diuinis præmotionibus, relectione 4. Blasius à conceptione, Philosophiæ Moralis disput. 8. quæst. 1. Iohannes Baptista Gonerus, Clypeo Theologiæ Thomisticæ, tomo 3. tractat. 2. disput. 2. His stipulantur ex nostris, Andreas Riuetus, Catholici Orthodoxi tractat. 4. quæst. 3. Antonius Valæus, responsione ad censuram Alnoldi Coruini cap. 3. de prouidentia; Henricus Altingius, Elencticæ nouæ loco 8. de liber. arbit. Samuel Ractorfortis, variis quæstionibus circa prouidentiam, quæst. 11. Marcus Fridericus Vendelinus, Philosoph. Moral. lib. 1. cap. 4. quæst. 11.

Aliis denique forma libertatis est, immunitas ab omni necessitate antecedente; siue, indifferentia absoluta, plene sui domina, nullisque legibus astricta. Iuxta hanc sententiam, libertas humana, nec Dei decreto, nec eius præscientiâ, nec concursu, nec di&amine intellectûs, nec obiecti efficacîâ, nec cuiusuis alterius agentis externi influxu ad actionem determinatur. Hæc quidem prærequiruntur, vt agat; verùm, cum decretum Dei sit voluntas conditionata, quâ Deus, præuisâ ho-

minis determinatione, statuit se ad eam concurrerum; vel decretum quoddam vagum & indifferens; quo statuit in genere ad actiones humanas concurrere; cum itidem eius præscientia sit tantum scientia quædam media; quæ humanæ voluntatis actiones prænoscit, modo voluntas huc vel illuc inclinatur; cum eius concursus sit duntaxat simultanea quædam cooperatio, determinationem hominis nequaquam antecedens: cum dictamen intellectus præscribat tantum quid sit agendum, vel non agendum; nec ad agendum moueat, aut ab agendo reuocet; cum denique obiecti præstantia solum alliciat, nec determinet; propterea facultas libera, iis omnibus positis & stantibus, est indifferens ad agendum, vel non agendum, hoc vel illud agendum. Imò, si plerisque illorum fides habeatur, tanta est eius indifferentia, ut in quolibet hominis statu ipsa sit ad bonum & malum æquæ fere ratione flexilis: flexilitate libertati essentiali. Ita inter plures alios Iesuitas, Fonseca lib. 9. Metaph. cap. 2. Becanus Theologiæ Scholasticæ parte 2. tractat. 1. cap. 2. Arriaga disput. 8. de anima. Martinonus in Anti-Iansenio disput. 3. sect. 3. Guilleminotius quæstione tertia Morali. Inter Socinianos, Smalcus in disput. contra Franzium. Inter Arminianos, Episcopus tractatu de liber. arbit. Inter Lutheranos, Dilherus disput. Academic. tomo nouo, disput. de liber. arbit.

Libertas, ut apposite norat Gibiusus, spectari potest, vel tanquam conditio, vel tanquam facultas rei liberæ. Quandoquidem considerari solet in scholis, ut facultas, hoc modo consideraturi, illiusque sic consideratæ differentiam assignaturi sumus.

Quibusdam differentia eius est immunitas à necessitate; aliis verò est indifferentia. At hæc duo videntur esse vnum & idem diuersimode spectatum. Si libertas spectetur respectu eorum, à quibus facultates pure naturales determinantur, differentia eius essentialis immunitas à necessitate: si, respectu obiectorum, quæ respicit, indifferentia vocatur. Ceterum duo, illa vnum & idem reipsa sunt. Quoniam tamen indifferentia formam libertatis conuenientius exprimit, quàm immunitas à necessitate, voce illà utemur.

Indifferentia usurpatur aliquando pro statu animi circa obiecta quædam fluctuantis, defectuque conditionis sese determinare non valentis. Cum hæc fluctuatio sit imperfectio quædam in facultate liberæ: eiusmodi indifferentia non est differentia libertatis. Sumitur aliquando pro potestate ad vtrumlibet, in facultate sui ipsius determinatiua: hæc indifferentia est forma libertatis.

Hæc rursus est duplex, alia ad actus oppositos: quæ vulgò *contradictionis*, vel *disparationis*, appellatur; alia ad obiecta contraria, quæ

*specificacionis, seu contrarietatis, dicitur. His suppositis sic.*

### ASSERTIO PRIMA.

**EMINENTIA** hominis in creaturas inferiores, eiusque dominium in illas, possunt aliquo modo cenferi forma libertatis, uti sentit Gibius: quandoquidem dominium illud nihil aliud est, quam facultas iis vrendi, vel non vrendi, pro libitu: siue, ut concedit ipse Gibius, in differentia ad eas prosequendas, vel non prosequendas. Verum, si res attente consideretur, dominium istud est potius radix libertatis, ut sequenti sectione patebit, quam differentia eius constitutiva. Idem enim homo ad earum amorem vel odium indifferens est: quod supra illas omnes emineat: nullaque determinate ad finem suum assequendum egeat. Alia igitur forma libertati est assignanda.

### ASSERTIO SECUNDA.

**FORMA** libertatis posita est in indifferentia quadam, eaque activa patet 1. ex Scriptura, saepe libertatem in eiusmodi indifferentia constituyente. *Nonne si servasses, manebat tibi,* inquit D. Petrus Ananiae, & eorum Apostol. cap. 5. loquens de praedio, cuius pretium Ananias interuerterat; *& venditum in tua potestate erat?* Item prioris ad Corinth. cap. 9 *Nunquid non est potestas nobis edendi & bibendi,* ait D. Paulus de seipso; *aut nunquid non est potestas nobis mulierem sororem circumducendi?* Quibus locis libertas in indifferentia activa statuitur. Patet etiam ratione: facultatis electivae, ac dijudicativae, essentia sita est in indifferentia activa, quandoquidem vnum pra alii sic acceptat, ut possit non acceptare. At libertas est facultas electiva & dijudicativa; ut omnes fatentur. Ergo, &c. 2. Libertas humana est imitatio divina; cum sit prastantissima hominis perfectio, a libertate divina descendens. At libertas divina sita est in indifferentia; Deus enim est actionum suarum summe Dominus. Ergo, &c. Libertas spontaneitatis est vis sui determinativa cum necessitate; Ergo libertas indifferentiae erit vis sui determinativa cum indifferentia; quandoquidem duae illae libertatis species opponuntur. 4. Concordia libertatis cum determinatione divina, omnique alia necessitate extrinseca, semper visa fuit omnibus difficillima: Ergo ratio libertatis sita est in indifferentia activa; secus concordia illa adeo difficilis non foret. Patet denique autoritate. *In hominis potestate est,* inquit Thomas quaest. 24. de veritate, articul. 1. *facere & non facere, & ita est liberi arbitrii.* *Orthodoxi non negant,* inquit Alting Theologiz

Elencticæ loco 8. controuersia 2. *indifferentiam pertinere ad naturam liberi arbitrii ; quippe per quam distinguitur ab omnibus agentibus naturâ, sine, necessitate naturali ; sed duo hic desiderant ; prius est, quod indifferentia illa non ex scriptura, sed ex pseudophilosophia definitur, & explicatur, &c.*

Occur. 1. Facultas nunquam est liberior, quàm cum operatur. At, cum operatur, non est indifferens ; quia ad actum est necessariò determinata : Ergo libertatis forma non est sita in indifferentia.

Quando facultas libera operatur, non est indifferens indifferentiâ priuatiuâ & *suspensiuâ*, quæ, vnâ cum virtute seipsam determinandi, includit carentiam actus, eiusque suspensionem ; at est indifferens indifferentiâ positiuâ, quæ solam potestatem ad opposita importat : vel, non est indifferens indifferentiâ actûs, quia cum actu coniuncta est ; verùm est indifferens indifferentiâ potestatis ; siquidem sub actu retinet potestatem ad negationem actus. Iam autem formam libertatis non constituimus in indifferentia priuatiua, vel actûs ; sed in positiua, vel potestatis.

Inst. Deus est agens omnium liberrimum, imò est fons & origo cuiuslibet libertatis. Sed non est indifferens indifferentiâ potestatis ; vbi enim aliquid semel voluit, non potest non velle. Ergo, &c.

Postquam Deus aliquid semel statuit, illud non potest non velle, propter immutabilitatem suam ; imò nullum est eius decretum, quod non sit æternum. Verùm, licet decreta eius sint æterna & immobilia ; hoc non impedit, quin eorum respectu liber censeatur, quia absolute potuit ea non formare ; momentaque nonnulla concipimus, decretis illis priora, in quibus fuit ad illa indifferens.

Occur. 2. Si libertas consistit in indifferentia, quò maior erit indifferentia, eò maior erit libertas. Falsuim posterius ; sequeretur enim aharum, qui nullo habitu ad actus liberalitatis inclinatur, liberiores fore in his actibus exercendis, quam liberalem ; qui propter habitum liberalitatis in eos propendet. Ergo, &c.

Negatur Minor ; nec absurdum est, quò maior est indifferentia, eò maiorem esse libertatem. In libertate duo sunt, essentia & extensio. Essentia consistit in potestate ad actum in genere sumptum, & eius negationem. Hæc habituum accessu aut recessu nec augetur, nec minuitur. Extensio est potestatis huius, ad actum & eius negationem indifferentis, exporrectio ad plures aut pauciores actus oppositos. Hæc pro varietate habituum, quibus facultas libera afficitur, variat. Si facultas habitibus afficitur, ita vt propensior sit in quosdam actus, quàm in alios, tunc est minùs indifferens extensiuæ ; si non afficitur, est magis indifferens ; illibata maneat libertatis essentia. Quod spe-

**Est avarum, licet ad actus liberalitatis nullo habitu inclinaret, liberatis** verò in eos per habitum liberalitatis propendat; inde tamen non sequitur, avarum liberali liberiores esse ad exercitium liberalitatis; quemadmodum enim liberalis ad actus liberalitatis per liberalitatem, sic & avarus ad actus contrarios per avaritiam suam determinatur.

**Occurr. 3.** Amor, quo beati Deum in cœlis prosequuntur, est actio omnium actionum humanarum liberrima; quia est omnium perfectissima. Sed non est indifferens; beati enim ardentissimo amore non possunt Deum non prosequi. Ergo libertas non est sita in indifferentia.

Sunt, qui minorem huiusce argumenti negant; volunt enim hunc amorem esse absolute indifferentem; quia, seposito habitu charitatis, & clara Dei visione; quibus beati ad hunc amorem determinantur, is potest esse & non esse. Verum maior est potius neganda; amor, quo beati Deum in cœlis complectuntur, est quidem omnium humanarum actionum liberrima, libertate complacentiæ; quia est omnium lubentissima; non est tamen omnium liberrima, libertate indifferentiæ, imò hac libertate nequaquam est libera: cum sit necessaria. Porro, licet sit necessaria, est tamen omnium humanarum actionum præstantissima; quia necessitas eius non oritur ex ignorantia quadam intellectus, aut prava voluntatis dispositione, uti contingit in motibus indeliberatis, sed ex perfecta obiecti summe boni cognitione, intensissimoque charitatis habitu.

**Occurr. 4.** Si libertas consisteret in indifferentia, perfecta intellectus cognitio eriperet libertatem voluntati; quia, stante distinctâ boni cognitione, voluntas non potest ipsum non amare; ut & stante distinctâ mali notitia, non potest ipsum non auersari. Sed perfecta intellectus cognitio non debet libertatem eripere. Ergo.

Si de summo bono, aut summo malo, sermo sit; perfecta cognitio tollit libertatem indifferentiæ; voluntas enim non potest non ambire summum bonum perfecte cognitum, summumque malum plene perspectum non horrere. Verum, si de bono, vel malo limitato agatur, distincta cognitio libertatem non eripit: imò, quò plenior est eorum notitia, eò voluntas est liberior ad ipsorum prosecutionem, vel fugam; limites enim bonitatis, vel malitiz ipsorum, clarius apparent.

**Occurr. 5.** Christus fuit liberrimus in seruandis Dei præceptis. At non fuit indifferens ad seruandum & non seruandum. Ergo libertas non consistit in indifferentia ad agendum & non agendum.

Minor potest negari. Verum est Christum non fuisse indifferentem ad seruanda patris mandata, & non seruanda; ubi semel eorum obseruationem accepit: sed, antequam acceptaret, liber erat: proindeque absolute,

absolute, & sepositâ acceptatione, indifferens fuit ad ea seruanda, vel non seruanda. Eadem tamen sic distinguitur: Christus non fuit indifferens ad mandata Patris seruanda, & non seruanda, in genere C. in specie, hoc vel illo modo seruanda, & non seruanda, N. Eorum obseruationem absolute omittere non potuit: inde non fuit indifferens ad ea absolute seruanda, & non seruanda; illam tamen potuit aliquando suspendere, aut hoc, vel illo modo temperare; adeoque indifferens fuit ad hoc, vel illo modo seruanda, & non seruanda; quod ad essentiam libertatis sufficit: quia in eo seruandi modo indifferentia quædam ad agendum, & non agendum, occurrit.

### ASSERTIO TERTIA.

**INDIFFERENTIA**, in qua forma libertatis humanæ consistit, non est indifferentia absoluta, & plene sui domina; sed indifferentia limitata, & dominio Dei subordinata. Si enim foret indifferentia absoluta, & purum æquilibrium, facultas libera nullum habitum admittere posset, sine libertatis suæ iactura. Iam verò, nedum laudabiles habitus libertatis essentiam lædant, quin contrà iuuant, & perficiunt. 2. Libertas humana æque foret independens ac diuina; sicque creatura in Deum transformaretur. *Quanam obsecro, noua libertas, qua Deum nescit? Ergone ita liberi homines esse volunt, ut nec Deum velint habere Dominum?* 3. Deus nullatenus posset facultatem liberam præmouere, quin eius libertatem euertetet. *Abstinet autem, omnium ut qui naturam sibi creauit, naturâ, sine natura abusu, corruptione, uti non possit.* 4. Si libertas esset essentialiter soluta omni determinatione antecedenti, Deus non posset actiones facultatis liberæ ab æterno prædefinire, quin eius libertatem destrueret: quandoquidem necessitas, quæ a prædefinitione diuina oritur, antecedit illius determinationem, ipsamque infallibiliter importat. At Deus potest actiones facultatis liberæ ab æterno prædefinire, illibatâ facultatis libertate; is enim de Deo male sentiret, qui arbitraretur, *quod ab eo per creationem effluxit, per gubernationem eius amitti, aut fatiscere: Deique dominationem creationi esse contrariam.* Indifferentia igitur, in qua ratio libertatis sita est, non est indifferentia versatilis, actionum suarum plene arbitra; sed potestas ad vtrumlibet, Dei prouidentia, multisque aliis legibus, temperata.

Occur. 1. Ex Ecclesiæ Patribus, libertas humana est libra in perfecto æquilibrio constituta: siue cardo in ortum & occasum æqualiter flexilis. Ergo est absolute indifferens.

Patres quidem fatentur libertatem esse libram in perfecto æquili-

brío constitutam, seu cardinem in ortum & occasum æqualiter flexilem; ac libram intelligunt æternū in æquilibrio permanuram, ni Deus amoris sui pondere, aut alio quopiam impulsu, in alterutram partem determinaret: cardinemque nunquam flectendum, ni Deus versaret. Deinde, cū Patres libræ in æquilibrio constitutz, vel cardini in vtrambet partem æqualiter flexili, libertatem comparant, ipsam absolute spectant, sepositis omnibus externis, quibus flecti potest. Ac si habitus, ipsam huc vel illuc inclinantes; obiecta, quibus allicitur, prouidentiamque diuinam, per quam determinatur, cum ea componerent; isti libræ, huiusque cardini, nequaquam compararent.

Occurres 2. Libertas humana est imitatio diuinæ, eiusque effluxus. Sed diuinæ essentia in eo consistit, quod à nullo externo determinatur. Ergo humanæ essentia in eo sita erit, quod ab alio non determinetur.

Cū libertas humana sit duntaxat effluxus & participatio diuinæ; si essentia diuinæ in eo sit posita, quod à nullo externo determinari possit; humanæ essentia in eodem consistere non poterit: secus humana foret diuinā. In eo igitur ratio eius constituenda erit, quod seipsam determinet cum indifferentia, quemadmodum & diuina; sed se determinet, Deo condeeterminante: cū contrā diuina à se solā determinetur.

#### ASSERTIO QUARTA.

INDIFFERENTIA contrarietatis, siue potestas ad bonum & malum, est equidem comes necessaria libertatis humanæ; quando homines in hisce terris degunt; verū non est libertati absolute sumptæ essentialis: proinde indifferentia essentialis libertati humanæ est duntaxat indifferentia contradictionis, siue potestas ad opposita. Primum constat, siquidem ea est hominis mutabilitas, vt quando est viator, à bono in malum, & à malo in bonum, facile deflectere possit. Vnde Hieronymus epistol. 146. *Solus Deus est, in quem peccatum non cadit; cætera, cū sint liberi arbitrij, intellige, defectibilis, & in gratia non confirmati, in vtramque partem suam possunt flectere voluntatem.* Secundum non est minus euidens; beati enim carent potestate ad malum, damnati ad bonum, & utriusque tamen essentiā libertatis fruuntur. Præterea defectus libertatis non potest esse essentialis libertati; ac potestas ad malum est defectus libertatis. Cū itaque potestas ad malum ad essentiam libertatis non pertineat, inde sequitur indifferentiam, in qua forma libertatis est posita, esse potestatem ad agendum, & non agen-



dum, hoc vel illud agendum. Sed radix huiusce indifferentiæ iam querenda est.

### RADIX LIBERTATIS.

QUIBUS DAM radix libertatis est firma adhæsiō hominis cum Deo. Ex eo enim, quòd homo firmiter Deo adhæreat, superior sit omnibus creaturis, nulli earum determinate alligatur; indèque indifferens est earum respectu. Cùm itaque libertas eius sita sit in eminentia supra creaturas inferiores, & in indifferentia quadam ad utendum illis, vel non utendum; propterea, iuxta hanc opinionem, firma adhæsiō cum Deo est radix libertatis. Sic Ghibius de libertate Dei & creaturæ, tomo lib. 1. Guilelmus Camerarius, disputat. selectarum, parte 2. quæst. 9. dubio 3.

Aliis duplex est radix libertatis, externa & interna. Externa est infinita voluntatis diuinæ efficacia. Deus agentibus liberis non solum concessit agendi facultatem; sed insuper, antequam operentur, decernit, ut iuxta modum naturæ suæ operentur. Cùm igitur eius voluntas irremotum suum semper assequatur; inde fit, ut ipsius efficacia sit radix externa & remota libertatis. Interna verò est obiectiva iudicij indifferentia. Ea est intellectus humani conditio, ut obiecta sibi proposita in omnes facies versare; & quicquid in illis est bonitatis, vel malitiæ, apprehendere queat. Cùm autem nullum sit, excepto summo bono, quod multos defectus unà cum perfectionibus suis non includat, nullumque, excepto summo malo, quod cum malitia sua adiunctam non habeat utilitatem quandam; propterea nullum occurrit, quod ab intellectu necessariò prosequendum, aut fugiendum, iudicetur. Hæc iudicij indifferentia est radix interna & proxima libertatis. Sic de radice libertatis Alvarez, de auxili. disput. 116. Iohannes à Sancto Thoma, sub finem physicæ, tractatu de voluntate: Ioannes Baptista Gonetus, clypei Theologiæ Thomisticæ tom. 1. tractat. 4. disput. 6. Item ex nostris, Andreas Riuetus, Summæ Controuersiarum tractat. 4. quæst. 3. Ioannes Strangius, de voluntate & actionibus Dei circa peccatum, lib. 3. cap. 8.

Aliis postremò radix libertatis est eminentia hominis, eiusque dignitas supra creaturas inferiores. Cùm enim sit creatura præstantissima: licet bonum quodlibet ipsum alliciat, nullum est tamen, præter infinitum, quod necessariò pertrahat; unde respectu cuiuslibet boni finiti est indifferens. Ita Emmanuel Magnanus, philosoph. sacræ, cap. 11. Iohannes Camerarius, siue Duhamel, Philos. Moral. dissert. 1. cap. 2. His præmissis, sic rem determinamus.

Firma adhæsiō cum Deo potest quidem censeri radix libertatis; quō quis enim Deo firmiùs adhæret, eò magis est indifferens respectu rerum caducarum: verùm radix illa ad libertatem necessariò non requiritur; quandoquidem à libertate abesse potest, vt reuera abest in impiis; in quibus tamen reperitur libertatis essentia.

Efficacia voluntatis diuinæ potest itidem censeri remota & externa radix libertatis: idè enim creatura intelligens libere operatur; quia Deus consentit, imò & decernit, vt libere operetur. Sed hæc efficacia est potius conditio ad libertatem requisita, quàm radix quædam, ex qua libertas proprie deriuatur. Licet enim eiusmodi efficacia seponatur; attamen creatura intelligens libere operari concipitur. Quoad indifferentiam obiectiuam iudicij, est equidem radix interna libertatis, quæ in voluntate reperitur; ex eo enim quodd intellectus obiectum voluntati proponit, vt indifferens, & cum summo bono aut malo contingenter connexum; voluntas indifferens est ad eius prosecutionem & fugam. Verùm hæc indifferentia iudicij non est origo libertatis adæquate sumptæ, cum intellectus ipse sit liber, nec ipsius libertas ab indifferentia illa oriatur.

Radix igitur externa libertatis est conditio obiectorum, quæ, cum sint virtutis finitæ, mentem quidem alliciunt ad operandum, sed necessariò non pertrahunt. Nullum est adèd vtile ad fœlicitatem, vt mens necessariò amplecti; nullum quoque ita noxium, & cum summo malo adèd arte coniunctum, vt necessariò respuere debeat. Inde est quodd eorum respectu sit indifferens. Radix verò interna eiusdem libertatis est ipsa hominis præstantia: cum enim inter creaturas adèd emineat, vt nulla sit, quâ determinate egeat ad fœlicitatem: nullaque, à qua perniciosam extremam reformidare debeat; propterea liber est in earum prosecutione & fuga. Sic de libertatis radice philosophandum nobis videtur.

### LIBERTATIS DEFINITIO ET ESSENTIA.

**OBIECTVM**, actus, sedem, genus, differentiam, & radicem libertatis explicuimus; ex his iam facile colligi potest eius definitio.

Scoticis, Nominalibus, Iesuitis, Socinianis, Remonstrantibus, multisque recentioribus Augustanæ confessionis doctoribus, libertas est facultas, qua, postis omnibus ad agendum requisitis, potest agere & non agere, hoc vel illud agere. Necessaria ad agendum requisita, iuxta eorum opinionem, sunt duplicis generis; alia actionem antecedunt, vt scientia Dei media, decretum conditionatum, præcursor vniuersalis, iudicium sa-

tionis indifferens, &c. Alia verò actionem concomitantur, vt idonea facultatis dispositio, obiecti presentia, concursus Dei simultaneus, &c. *Potest agendi & non agendi* duobus modis itidem conuenire potest facultati libertæ: in sensu diuiso, vel in sensu composito. Facultas libera positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere & non agere: in sensu diuiso, si, sepositis eiusmodi prærequisitis, possit agere & non agere: potest verò agere & non agere in sensu composito, si, iisdem stantibus, & cum ea compositis, possit operari & non operari. Cùm illi libertatem definiunt; facultatem, quæ, positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere & non agere, hoc & illud agere; necessaria ad agendum requisita ea sunt præcipue, quæ actionem antecedunt. Cùm deinde aiunt, positis illis, facultatem liberam posse agere & non agere; volunt eam posse agere & non agere in sensu composito. Itaque iuxta eorum opinionem, libertas est facultas, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis, iisque stantibus, & cum ea compositis, potest agere & non agere; non ita quidem, vt possit eodem tempore actum cum negatione actus, vel vnum actum cum alio ipsi contrario componere. Eiusmodi enim compositio est impossibilis. Sed ita, vt sub prærequisitis ad agendum habeat potentiam ad actus negationem, & que ac ad eius positionem: imò & cum prærequisitis illis actus negationem plerumque coniungat. Verùm illi *omni libertatem confinxerunt*, vt apposite obseruat Gibiusus, *qua Deo propemodum aduersatur, quasi ingum eius indignata; eam, qua cum gratia non conueniat; eam tandem, qua sine peccato intelligi vix queat.* Rœuert, an Deus is erit, qui efficit in nobis velle & perficere, pro gratuita sua benevolentia: si, stante eius decreto, efficacique motione, & que dissentire possumus, ac consentire? Præterea, an præscientia eius poterit esse infallibilis, & certa: si, eà semel positâ, arbitrium humanum in vtramvis partem sit æqualiter flexibile; & plerumque aliorsum fluctatur, quàm quò inclinare videbatur? Denique, an Deus propositum suum in nobis assequetur, & quæcunq; volet, præstabit: si, cùm agit, vt agamus, possumus non agere; imò plerumque non agamus. Alia sane mens Augustini, de corrept. & gratia cap. 2., cùm sic ait; *Intelligent, si filij Dei sunt, spiritum Dei se agi, vt quod agendum est, agant: & cùm egerint, illi, à quo aguntur, gratias agant: aguntur enim, vt agant, non vt ipsi nihil agant.* Libertas igitur non est potestas vaga, quæ, positis omnibus ad agendum prærequisitis, possit & que non agere, ac agere, & plerumque non agat.

Thomistæ recentiores, & cum illis plerique ex doctoribus Reformatis, prædictam libertatis definitionem admittunt: sed alio modo intelligunt. Prærequisita ad operandum, ex eorum sententia, sunt de-

cretum Dei absolutum, quo, ante omnem facultatis liberæ determinationem, certò definit, quid operetur: itè præscientia in illo decreto fundata, iuxta quam huius facultatis operationem infallibiliter prænoscit, influxus denique præuius, qui eandem ad operandum moueat, & prædeterminet. His positis, volunt quidem facultatem liberam posse in sensu composito agere & non agere; hoc vel illud agere. Verùm nolunt ita posse; vt, stantibus illis prærequisitis, operationem absolute suspendat, vel actum contrarium eliciat. Quandoquidem sub illis seruat potestatem non agendi, imò & contrarium agendi; habetque, vt loquitur Capreolus, *simultatem potentia*; propterea volunt posse in sensu composito agere & non agere, hoc vel illud agere; at rem sic non intelligunt, quasi cum præmotione ad actum possit negationem actus; cum præmotione ad amorem possit odium componere: imò & plerumque componat. Sic illi supradictam libertatis descriptionem interpretantur, & admittunt. Si sic temperetur, potest aliquomodo consistere: stante tamen recentiorum Thomistarum circa prouidentiz naturam, sententiâ, grauissimis illa difficultatibus vrgetur. Quo pacto enim facultas libera, posito decreto diuino, poterit agere & non agere, obiectum eligere & negligere; si, vt ipsi fatentur, virtute huius decreti immutabiliter determinetur ad agendum, & obiectum eligendum? quomodo, stante diuinâ præscientiâ, potest esse indifferens ad operandum & non operandum, hoc vel illud operandum? & Deus certò præscit ipsam hoc determinate, non aliud, operaturam? Quomodo denique ab actione cessare potest, si Deus ad actionem efficaciter est prædeterminaturus?

Vetustiores Thomistæ, cum Iansenianis, & prioribus doctoribus Reformatis, eandem libertatis definitionem aliquando adoptant: at propter rationes iam allatas alio sensu vsurpant. Volunt enim libertatem, positam omnibus ad agendum prærequisitis, posse agere & non agere; sed *in sensu diuiso*, hoc est, prærequisitis illis mente sepositis: non vero *in sensu composito*, hoc est, iisdem cum facultate libera compositis. Eodem modo, aiunt, potest agere & non agere, positam omnibus prærequisitis ad agendum, quo prædestinatus potest damnari, & non damnari, positâ prædestinatione. Potest damnari *in sensu diuiso*, hoc est, si absolute, & præcisâ prædestinatione, consideretur: at non potest, *in sensu composito*, hoc est, si spectetur, quatenus electioni diuinæ subest. Sed & hæc explicatio dura videtur; nec definitionem supradictam satis emollit, vt admittatur. Facultas libera, positam omnibus ad agendum prærequisitis, poterit agere & non agere; si eadem prærequisita tollantur, & remoueantur. Quid hæc sibi volunt? An hæc prærequisita poni

possunt simul & remoueri? An non eiusmodi explicatio definitionem euertit, quam vult emollire? Præterea, quis vnquam in dubium reuocauit, facultatem liberam esse indifferentem ad agendum & non agendum; si ea remoueantur, quibus determinari solet? Libertas igitur alio modo est definienda.

Conuenienter cum Herbordio Colleg. Ethici disput. xi. describi potest, *facultas intellectus & voluntatis ad vtrumlibet*: conuenientius adhuc cum Aluato, *facultas voluntatis & rationis ad vtrumlibet agendum, vel non agendum; & agendum vnum, vel alterum*. Omnium conuenientissimæ *facultas humana mentis, secundum quam obiectum ab intellectu distinde perceptum, potest amplecti, respicere, aut absolute negligere*. De natura libertatis abunde, succedunt eius affectiones.

### CONSENSVS LIBERTATIS CVM PROVIDENTIA.

VARIA sunt libertatis affectiones; sed, cum in plerisque nihil sit difficile, dimittimus; vt eius consensum cum prouidentia explicemus. Consultius forsan esset, sanctâ admiratione hæc venerari, quàm stultâ præsumptione scrutari; quandoquidem, vt prudentissime notat Vvesterburgius apud Beuerouicium de vitæ termino, *sapientia sua adyta summum Numen caliginosa noctis velamento mortalium oculis seclusit, nec fas in ea irrumpere: ne, dum scrutamur maiestatem temerarij, à gloria opprimamur infelices*. Verùm, cum eiusdem Numinis sapientia qualdam fulgoris sui scintillas per hæc velamenta ad nos transmittat, quibus ad ipsius inuestigationem accendamus, ipsam explorare licet; modò caute & circumspecte exploretur.

Democritus, Heraclytus, Empedocles, multique alij veteres Philosophi; cum libertatem causarum secundarum non possent amice cum prouidentia sociare, prouidentiam tamen seruandam iudicarent; libertatem sustulisse dicuntur, fatum quoddam inducentes, cui omnia subessent. At, si cæci sunt, qui à fortuna cæca mundum putant regi, fatui sane haberi debent, qui eiusmodi fatum venerantur; nec homines vi insuperabili ad prodicionem, parricidia, incestus, rapinas, aliâque, id genus, infanda facinora, impellendi sunt, vt Dei prouidentia seruetur.

Aristoteles contra, Epicurus, &c. cum eandem prouidentiam cum libertate conciliare non possent, actiones liberas prouidentia eximisse perhibentur: sicque, dum homines voluerunt facere liberos, fecerunt sacrilegos. Verùm, *Non ideo negandum, quod apertum est, quia comprehendendi non potest, quod occultum*: ut ait Aug. de bono perleuer. cap. 14.

Iam autem Dei respectu contingentium liberorum providentia est aperta. Iehoua enim, *utique providens est, ut Deus*, ait Lactant. de ira Dei, cap. 9. *nec aliter potest diuinitas ei attribui, nisi & praterita teneat, & presentia sciat, & futura provideat.*

Media igitur via cum Platone & Stoicis est ineunda. *Fuisse à Deo, constituta omnia, omniaque à Deo gubernari statuerunt* inquit Gassendus, Eth lib. 3. cap. 3. *& nisi satis feliciter, pro viribus tamen, libertatem defenderunt.* Cum illis igitur, vel potius cum Philosophis & Theologis Christianis, providentia diuina, libertasque humana tuenda sunt & amice conciliandæ.

In providentia tres actus distingui possunt, futurorum liberorum præscientia, eorum prædefinitio æterna, & executio temporalis; Deus enim futura libera primùm decernit; in decreto deinde ea præscit, in tempore demum permittit, vel operatur. Cum tribus hisce humanam libertatem conciliare tentabimus. Si quid non satis conveniens nobis forte exciderit, *aquum est meminisse, ut præfatur Socrates de mysteriis Deorum apud Platonem locuturus, & me, qui differam, & vos, qui iudicabitis, homines esse.*

### CONSENSVS LIBERTATIS CVM PRÆSCIENTIA.

QUANDO QUIDEM Dei præscientia falli non potest, fieri nequit, quin ea necessariò eueniant, quæ Deus euentura prænotat. Ea est contra futurorum liberorum conditio, ut non possint necessariò euenire; secus non forent libera, & contingentia. Itaque alterutrum tollendum videtur, præscientia Dei, aut futurum liberum. En prima difficultas, quæ circa providentiam doctorum ingenia omnibus sæculis fatigavit, variâsque in partes distraxit.

Veteres nonnulli, ut libertatem tuerentur, futurorum contingentium præscientiam Deo denegarunt. *Arbitrati sunt, ut ait Augustinus, utrumque simul stare non posse, sed, si alterum confirmatur, alterum tolli. Ex his duobus liberum arbitrium elegerunt, utque confirmaretur, præscientiam futurorum negarunt.* Sic sensit Cicero 2. de Divinatione: Sic Aristoteles, qui Deo specialem rerum providentiam: Sic Averroistæ, qui eidem cognitionem singularium derogarunt. Nec ab his longe discedunt Sociniani, quando aiunt, Deum quidem contingentia prænosse, sed scientia duntaxat coniecturali. Ut ut sit, contingentia rerum, imò & ipsa libertas humana, erant potius tollenda, quàm Dei præscientia. Si quidem *confiteri esse Deum, inquit August. de Civitate Dei cap. 9. & negare præscium futurorum, apertissima insania est.* Reuera, an erit Deus,  
&

& ens summè perfectum, si non sit omniscius? An concurrere poterit ad futurorum contingentium productionem, eamque dirigere ex sapientia sua, si non prænoſcat? Præſcientia igitur futurorum contingentium Deo non est deroganda, ut sit eorundem contingentia.

Futurorum liberorum præſcientiam alij omnes in Deo admittunt; non conueniunt tamen in concilianda eius certitudine cum eorundem futurorum contingentia. Nonnulli enim volunt Deum futura libera præſcire, scientiâ quâdam conditionatâ; antequàm absolutâ prænoſcat; adeòque scientiam eius absolutam nullam ipsis necessitatem imponere; eò quòd hæc scientia supponat causam liberam se se ad eorum productionem libere determinasse, prout paulò antè per scientiam conditionatam præſcitum fuit. Alij verò, sine scientiæ huius conditionatæ adminiculo, futurorum contingentiam cum præſcientiæ diuinæ infallibilitate componunt.

Iuxta scientiæ conditionatæ Assertores triplex est in Deo scientia. Alia simplicis intelligentiæ, siue necessaria; alia visionis, siue purè libera; alia denique media, siue conditionata. Prima ea est, quâ Deus possibilia in Essentia sua naturaliter contemplatur. Eâ scientiâ Deus alterum solem, v. gr. à nostro diuersum, alteram terram, &c. cognoscit. Secunda illa est, quâ effectus aliquando euenturos in decretis, quibus eorum futuritionem definiuit; vel in intellectu sui perspicacitate infinita, aut alio simili medio, absolute prænoſcit. Sic Christi mortem ab æterno prænoſcit. Tertia denique ea est, quâ, ante omne determinatum voluntatis suæ decretum, certò & infallibiliter noſcit, quid euenturum esset, si hæc, aut illæ, conditiones ponerentur. Sic, v. gr., Deus prænoſcit conuersionem Tyriorum futuram; si Christus Euangelium ipsis annuſciasset, eadèmq; miracula inter eos, quæ inter Iudæos, patraſſet. Deus igitur, iuxta Authores illos, in futurorum liberorum cognitione sic procedit. 1. In Essentia sua eorum possibilitatem contemplatur; cùmque sibi placeant, in eorum productionem inclinât. 2. Oculos conijcit, in causas, ex quibus possunt prodire; & explorat in, quam partem se sint flexuræ, si in tali, vel tali, occasione constituentur, talique, vel tali, concursu iuuentur. 3. Decernit ipsas in his, vel illis, occasionibus constituere; hocque potiùs, quam illo, concursu donare. 4. Denique futura ab ipsis pendentia talitèmpore absolute euentura nouit. Itaque; cùm Deus hoc modo futura libera cognoscat, eius cognitio non potest necessitatem vllam ipsis imponere. Et primò quidem, quod spectat ad scientiam simplicis intelligentiæ, hæc nequaquam necessitatem illis imponit; cùm ea repræſentet dantiar, ut possibilia; nec in illis existentiam vllam attrahat. Scientia media

eorum quidem existentiam attingit; at, quando ea contemplatur, nondum sunt determinate futura; nec vi huius scientiæ vnquam euenirent, ni aliud quidpiam ex parte Dei, vel creaturæ, accederet; cuius virtute ad existentiam determinarentur. Sola igitur superest scientia visionis, quæ possit necessitatem imponere. Verùm, licet futura libera, scientiâ visionis suppositâ, infallibiliter eueniant, illa tamen nullam ipsis necessitatem antecedentem imponit; antequàm enim per hanc scientiam à Deo cognoscantur, sunt certò futura propter antecedentem; & iam suppositam, causæ suæ determinationem. Sic futurorum liberorum contingentiam cum scientiæ diuinæ infallibilitate componunt, inter Ecelesiæ Patres Origenes, lib. 3. Peri-archon cap. 1. inter Pelagianos, Iulianus lib. 1. operis imperfecti: inter Semi-pelagianos Faustus Regiensis, lib. 2. de gratia & lib. arbit. cap. 3. inter Pontificios Iesuitæ fere omnes, & præ cæteris Molina in Concordia, Suares in Opusculis, Ruizius de scientia Dei, Annatus de scientia media: inter Remonstrantes Episcopus Institutionum Theolog. lib. 4. cap. 19. Greuinchouius dissert. de redempt. generali, &c. inter Lutheranos Iacobus Martinus Wirtembergensis. Nec ab hac conciliandi ratione abhorrent inter Protestantes, Robertus Baronius Metaphysicæ generalis sect. 12. disput. 2. Antonius Valzus in locis communibus Theologicis, sectione de scientia Dei, cum quibusdam aliis, scientiam mediam certo sensu admittentibus.

Vtrum scientia conditionata sit in Deo admittenda, necne; non est huius loci discutere: verùm ea inutilis & periculosa nobis videtur ad conciliandam præscientiam futurorum cum eorum libertate. 1. Supponit omnem determinationem externam, quæ facultatis liberæ consensum antecedit, libertatem lædere: quod falsum. Decreta enim Dei absoluta sunt determinationes, operationem facultatis liberæ antecedentes; hæc tamen facultatis liberæ libertatem non tollunt; cum sint huius prima radix. 2. Scientia media ab auctoribus suis idè excogitata est, vt facultatem liberam ab omni determinatione antecedenti liberet; verùm non liberat, quin contrà, ipsam necessitati cuidam physicæ, & fato ineluctabili subijcit, quandoquidem supponit facultatem liberam, antequam Deus quicquam statuatur de eius determinatione, vi conditionum quarundam ponendarum, huc vel illuc necessarid flexendam esse. 3. Licet Deus priùs conditionate, quam absolute, præiudicat, in quam partem causa libera se se determinabit; hoc non impedit, quin scientia eius absoluta eandem necessitatem huic determinationi imponat, quam inductura esset; si scientia conditionata non præiret. Nullus est igitur scientiæ mediæ vsus ad temperandam necessitatem;



quam scientia Dei absoluta futuris liberis imponit. Unde huius scientiæ propugnatores eam non tam excogitarunt, ad emolliendam necessitatem à Dei scientia inductam, quàm ad efficaciam decretorum eius temperandam.

Qui scientiam mediam in Deo non agnoscunt, illi duobus modis scientiæ diuinæ infallibilitatem cum futurorum contingentia conciliant. Nonnulli aiunt infallibilitatem illam futurorum contingentiam non lædere, quia ipsam supponit; idè enim, inquirunt, futura libera præsciuntur futura, quia contingenter futura sunt. Cùm itaque priùs sint futura, quàm talia præsciuntur; præscientia Dei non potest eorum libertati derogare. Sic conciliant Scotistæ; sic Nominales; sic Gassendus Eth. lib. 3. cap. 3. sic Ioannes Baptista Duhamel de consensu veteris & nouæ Philosophiæ, lib. 1. cap. 4. Item ex nostris Henricus Altingius, problematum Theolog. parte 1. problemate 17. Paulus Voetius Theolog. naturalis reformatæ cap. 2. sect. 4. Strangius de volunt. & actionibus Dei circa peccatum, lib. 3. cap. 11. Alij concedunt quidem præscientiam diuinam antecedere contingentium futuritionem, imò & causam illius esse; nolunt tamen eius certitudinem vlllo modo eorum contingentia detrudere: quia Deus futura, tum libera, tum necessaria, eodem modo futura præuidet, quo in seipsis futura sunt. Quemadmodum igitur eius præscientia non variat conditionem futurorum necessariorum; sic quoque futurorum liberorum statum non mutabit. Ita recentiores Thomistæ: ita inter nostros Antonius Valzus in locis communib. Theologicis, sectione de scientia Dei: Andreas Riuetus summæ controuers. tractat. 4. quæst. 6. Fitanus Solon exercitationum Metaphysicarum, lib. 3. exercit. 2. de necessario & contingenti, quæst. 6.

Duplex illa conciliandi ratio admitti potest; ideoque quibusdam assertionibus illustranda est.

### ASSERTIO PRIMA.

Deus futura libera certò, & infallibiliter, prænoscit. Paret 1. Si Deus enim futura libera certò non præsciret, non foret omniscius, summèque perfectus. At est omniscius & summe perfectus; quandoquidem omnis perfectio in conceptu Dei includitur. 2. Si futura libera non præsciret, ea de nouo addiceret, quando eueniunt. Falsum posterius, cum eius cognitio mutari nequeat. 3. Multis Scripturæ locis idem euincitur. *Tu nosti cogitationes meas è longinquo*, inquit Psalt. Psalm. 139. *quum nondum est sermo in lingua mea, ò Iehoua, nosti ipsum eorum*. Item, Hebr. cap. 4. *Nulla est res creata, qua non sit manifesta in conspectu eius*;

*omnia verò sunt nuda & patentia oculis illius, cum quo negotium habemus.*

## ASSERTIO SECVNDA.

FUNDAMENTVM, & ratio certitudinis huius præscientiæ non est essentia diuina, absolute sumpta: quandoquidem in essentia diuina absolute sumptâ res repræsentantur duntaxat vt possibiles. Non etiam ideæ rerum, quæ sunt in Deo; cum enim ideæ illæ nihil aliud sint præter ipsam Dei scientiam, Dei scientia certitudinem à seipsa hauriret. Non itidem decreta, quibus Deus ab æterno futurorum liberorum existentiam definit; multa enim libere sunt futura, vt odium Dei, blasphemia, &c. quæ à Deo prædefinita non videntur. Nihil igitur ex parte Dei nobis elucet, in quo certitudo præuisionis futurorum liberorum fundetur. Nec etiam ex parte rerum ipsarum quicquam apparet, ex quo deduci possit. Sunt, qui volunt futura libera æternitati diuinæ coexistere; & propter coexistentiam illam certò cognosci; verùm, cum in seipsis ab æterno non existant, Deo coexistere, ac propter coexistentiam illam ab æterno cognosci, non possunt. Volunt alij veritatem eorum obiectiuam esse certitudinis huius fundamentum; cumque Deo sint obiectiue præsentia, propterea certò cognosci. Verùm quonam pacto veritas illa obiectiua potest esse fundamentum huius certitudinis, cum illa nihil aliud sit, quàm futura ipsa libera, quæ cognoscuntur, quæque in seipsis sunt contingentia & incerta. Sunt denique, qui putent futura libera certò præsciri in causis: verùm, cum eorum causæ sint ex se indifferentes ad ea producenda, vel non producenda; quomodo in eiusmodi causis intelligi possunt? Nihil igitur ex parte futurorum ipsorum occurrit, in quo immutabiliter cognosci queant. Porro, licet nihil vel ex parte Dei, vel parte rerum ipsarum, inueniamus, in quo Deus futura contingentia certò præsciat; non dubitandum tamen, quin certissime præsciantur. Cum enim perspicacitas Dei sit infinita; futurâque contingentia sint ex se obiecta cognoscibilia; Deus certò cognoscit: etsi modum, quo cognoscit, attingere non possimus. *Nec mirum, vt piissime eam in rem ait clarissimus Ludouicus le Blanc, Theol. de Concordia libertatis humanæ cum præscientia diuina, Theol.* 43. *Si mens nostra tam angustis limitibus definita, percipere non possit, quâ ratione intellectus diuinus, cui plane nulli sunt fines, ea cognoscat & attingat; qua sunt à cognitione nostra remotissima.*

## ASSERTIO TERTIA.

**Q**UAMVIS Deus certissime futura contingentia præsciat; hæc certitudo tamen non detrahit eorum contingentia. Si enim præscientia Dei, quatenus est præscientia, in futurorum existentiam non influat, tum non potest efficere, ut necessariò existant: quia, quod non concurrat ad existentiam, non potest ad existentia necessitatem concurrere. At præscientia Dei, quatenus est præscientia, in futurorum existentiam non influit: nam prius sunt futura, quam præsciantur futura. Ergo, &c. 2. Eodem intuitu Deus respicit futura, quo præsentia. Sed intuitu suo non imponit necessitatem præsentibus. Ergo nec imponet futuris. 3. Quemadmodum Deus præscit, quid creaturæ facturæ sint, ita & prænovit quid ipsemet facturæ sit. Sed hæc prænotio nullam inducit necessitatem in actiones Dei. Ergo nullam similiter inducet in actiones creaturarum. Rem exemplo imperatoris, conflietum duorum exercituum prænoscentis, aptissime illustrat Voetius, Theolog. Naturalis Reformatæ cap. 12. sect. 4. *Imperator, inquit, in specula, vel mentis summisate constitutus; exercitûs præfecto mandat, ut per montium angustias restâ cum exercitu proficiscatur. Videt ille hostem ex adversa parte instare, & ad easdem angustias properare. Prævidet itaque duorum exercituum conflictum in angustis fore, adque prævidet certò. Nec tamen vel minimam necessitatem confligendi illa prævisio imponit exercituum præfectis.* Eodem plane pacto prævisio Dei futura libera nequaquam cogit & determinat. 4. *Dei præscientia, ut subtilissime arguit de Rada, Controuersiarum Theologicarum inter Thomam & Scotum volumine 1. Controuers. 30. Non aliter prævidet res fore, quam illa sint futura. Atqui futura contingentia sunt futura contingenter, libera verò libere. Ergo Deus prævidet contingentia quidem futura esse contingenter, libera verò libere. Cùmque prævideat libera libere euentura, non possunt non libere euenire. Denique, stat rerum contingentia, ait idem, cum determinatione earum ad alteram contradictionis partem, à divina voluntate facta. Ergo multò melius cum infallibilitate scientia divina. Antecedens huiusce posterioris argumenti durum videtur; sectione sequenti expendendum est.*

### CONSENSVS LIBERTATIS CVM DECRETO.

**F**ACULTAS libera ex natura sua indifferens est ad opposita. Si, antequàm seipsam determinet; aliquod Dei decretum supponatur, quo ad alterum oppositorum flectatur: quandoquidem vi huius decreti ita

determinatur ad vnum, vt potestatem ad alterum aliquo modo amittat: inde fit, vt libertas eius eo decreto labefactari videatur. Hic est secundus nodus, qui circa libertatis & prouidentiae concordiam negotium facessit.

Nonnullis adeò difficilis visus est, vt ab homine mortali solui non posse existimarint; vnde volunt, vt in hac materia *intellectus quiescat, non euidentiã veritatis inspecta; sed aliquid inaccessibili veritatis occulta.* Alij soluere quidem nituntur; verùm in eius solutione ita sunt diuisi, vt solutio sit nodo ipso difficilior.

Omnes quidem essentiam libertatis in indifferentia constituunt; sed in decretis, quibus Deus futura libera prædefinit, assignandis, iisque cum futurorum contingentia componendis, adeò dissentiunt, vt Quicquid Physicæ Controu. x. puncto 4. & Carletonus 18. inter solos Iesuitas septem, vel octo, diuersas ea de re opiniones enumerent. Rem breuiter conficere animus est, adeoque omnes authorum opiniones ad tres tantùm reuocabimus; iisque excussis, nostram paucis conclusionibus aperiemus.

Prima opinio est eorum, qui sentiunt Deum quidem omnia futura libera ab æterno definire; verùm, quia definit prædefinitione vagã, facultatem liberam ad vnum oppositorum non magis, quàm ad alterum, determinante; idcirco illorum libertati non derogat. Deus, aiunt illi, est summus rerum Dominus; adeoque futuris omnibus, siue liberis, siue necessariis, sapientissime prouidet. Cùm igitur prouideat; priusquam quicquam eueniat, decernit se ad illius productionem concursurum; sed decernit, decreto quodam vniuersali & confuso, quod rerum productionem determinat: at productionis modum, & circumstantias, non præscribit. Cùm igitur Deus solam rerum futurarum existentiam determinet: existentiae verò modum, contingentiam, vel necessitatem, nequaquam definiat: propterea decreto suo nullam necessitatem futuris imponit. Ita nonnulli apud Suarez, de Auxil. lib. 3. cap. 17. Nec ab his discedunt, quotquot inter Iesuitas & Remonstrantes nullas prædefinitiones determinatas, post scientiam mediam, in Deo admittunt. Illi enim præter affectum quandam generalem, quo Deus futura libera intendit; siue vagam quandam eorum prædefinitionem, nullum in ipso decretum speciale agnoscunt.

Hæc opinio futurorum mutabilitati consulere studet. Verùm, vt consulat, prouidentiam diuinam euerit. Deus enim omnibus plene non prouidebit, si futura confuse & vage definiat? 1. An rerum circumstantias certo prædicere poterit; si, antequàm res eueniant, de circumstantiis nihil prorsus statuat? 3. Ea omnia decernit ab æterno, ad

quæ concurrat in tempore ; quandoquidem Deus non operatur , nisi iuxta voluntatis suæ præscriptum . At in tempore non concurrat tantum ad rerum productionem : concurrat quoque ad productionis modum : cum omnia uniuersim ab eo pendeant . Vnde etiam Thomas, Opuscul. 2. cap. 140. sic ait , *Ad efficaciam diuinae voluntatis pertinet , ut non solum fiat quod Deus vult ; sed ut hoc modo fiat , quo illud fieri vult . Vult autem quadam fieri necessarid , & quadam contingenter , quia utrumque requiritur ad completum esse uniuersi . Ut igitur res utroque modo promouentur , quibusdam adaptat necessarias causas , quibusdam contingentes .*

Secunda opinio est illorum ; qui præter supradictam prædefinitionem vagam , quæ causæ liberæ determinationem expectat , ut operetur ; aliam in Deo admittunt , specialem & determinatam ; quæ futurorum existentiam non solum definit , sed eorum quoque necessitatem , vel contingentiam , determinat : contingentibus tamen necessitatem non imponit ; quia priusquam quicquam statuat , præuisam causæ contingenter operantis determinationem supponit . Iuxta hanc opinionem Deus in futuris contingentibus decernendis sic procedit . 1. Decreto quodam confuso statuit concursum indifferentem causis secundis offerre ad eorum productionem . 2. Explorat in quam partem hæ causæ se determinaturæ sint , si concursus ille ipsis offeratur , atque in his , vel illis , circumstantiis constituantur . Vbi sic explorauit , tæmque certò pronouit ; succedit tandem speciale decretum , quo definit prædicto concursu eas iuare , & in talibus circumstantiis collocare , ad hoc , ut effectus suos infallibiliter producant . Cùm igitur futurorum liberorum existentiam determinate non definiat , quin prius explorauerit , in quam partem ipsorum causæ se sint determinaturæ , specialis eius prædefinitio nitatur præuisione huiusce determinationis ; idcirco decretorum suorum efficaciam futurorum liberorum contingentiam non euerit . Sic decretorum diuinorum immutabilitatem cum libertate sociant omnes fere Iesuitæ ; plerique Arminiani , cum quibusdam doctoribus Lutheranis & Reformatis .

Hæc opinio est equidem præcedenti tolerabilior : verum , dum decretorum diuinorum efficaciam temperare studet , ne libertati noceat , hanc plane frangit , Deum creaturæ subijcit , & pietatem extinguit . Si enim decreta Dei sunt vaga , & indifferentia ; donec voluntatis humanæ determinatio accedat , quæ efficaciam ipsis largiatur : illa erunt ex se ipsis otiosa & plane inefficacia . 1. Si Deus , ad hoc , ut aliquid determinate definiat , expectet voluntatis humanæ determinationem & consensum ; an omnia operabitur , ut vult Scriptura , *iuxta beneplacitum voluntatis suæ* ? Nonne potius omnia operabitur , iuxta beneplacitum huma-

næ voluntatis? Adeoque ipsa plene subijcitur? 1. Si decreta & actiones eius à determinatione voluntatis nostræ pendeant; quoties alicuius boni egebimus, ad eius gratiam confugiendum non erit, ut impetremus; imò à nobismet ipsis, illud expectandum erit. Iam autem, si à nobis ipsis expectemus; an non preces & pietas frigescent? *Quid stultum*, ait Augustinus de natura & gratia cap. 18. *quàm orare, ut facias, quod habes in tua potestate?* Decretorum igitur diuinorum efficacia, gratiaque inde promanantes, ab arbitrio nostro nequaquam dependent.

Tertia opinio statuit omnia, quæ sunt euentura, à Deo determinate decerni, antequàm villo modo euentura præuidentur: bona decreto effectiuo, mala verò permissiuo: neutrum autem ex illis decretis futurorum liberorum contingentia detrahere; quia, licet causam liberam ad alterum oppositorum extrinsece determinent; intrinsecam tamen & positiuam eius indifferentiam non tollunt. Cùm itaque causa libera sub decretis illis indifferentiam sibi essentialem retineat; & non obstante determinatione illâ extrinsecâ, ex se sit indeterminata, ac potestatem ad opposita seruet: propterea eiusmodi decreta libertati effectuum eius non derogant. Sic efficaciam decretorum diuinorum cum libertate creaturæ componunt Thomistæ, tum veteres, tum recentiores, ut Ferrariensis, Capreolus, Aluares, Ledesma, &c. Item Scotistæ & Nominales, ut de Rada, Pontius, Ochamus. Nostrates quoque, ut Tuuissus, Rhetorfortis, Maccouius, Paulus Voetius, &c.

Hæc opinio omnium verisimillima videtur; verùm temperamento quodam eget. Hoc autem modo temperamus & explicamus.

### ASSERTIO PRIMA.

DEVS futura quidem decernit; omnia tamen decernere non videtur. Prius patet, siquidem, ex Ephes. cap. 1. *Agit omnia secundum beneplacitum voluntatis suæ.* Posterius constat ex eo, quòd mala non decernat. Ea enim duntaxat decernit, quæ operatur. Sed non operatur iniquitatem. 2. Quæ decernit, ea probat; idè enim illa decernit, quòd sibi placeant. At mala non probat. 3. Si mala decreto speciali definiret, odium sui definiret. Falsum posterius; quandoquidem odium sui sic execratur, ut nulla ratione ipsum decernere possit. Ergo, &c. 4. Ea solum ab æterno decernit, ad quæ in tempore prædeterminat: quandoquidem prædeterminatio oritur ex decreto. Sed in tempore non prædeterminat ad malum, ut patebit sect. sequenti. Ergo nec ipsum decernit. Ita Zamel Dominicanus, Strangius, cum nonnullis Iansenianis.

ASSER

## ASSERTIO SECUNDA.

**QVÆ** Deus decernit, ea decreto absoluto, speciali, & determinationem creaturæ liberæ antecedente, decernit. Si enim decreta Dei supponerent operationem causæ liberæ, huiusque operationis præiudicio niterentur; causæ secunda ante primam, & sine prima, operaretur; operaretur enim antequam Deus ipsi cooperari statuisset. At causæ secunda non potest operari sine prima, nec ante primam. Ergo, &c. In eam rem scite Gibiufus: *Ex Augustino, ait, duo sunt rerum genera: quædam, quæ sunt à Deo in nobis, sine nobis: quædam, quæ sunt à Deo nobiscum. Illi, (adversarij nempe) stupendum membrum adiecerunt, eorum, quæ sunt in nobis, & à nobis, sine Deo.* 2. Si decreta Dei determinationem causæ liberæ subsequuntur, idèb subsequuntur, quia, si antecederent, libertati creaturæ nocerent. At hæc ratio nulla est: quia, vt acute notat Caramuel Theologiæ fundamentalis cap. 1., Adversarij volunt causam secundam vi determinationis suæ primam determinare: nolunt tamen secundam determinatione illâ lædere libertatem primæ. Cur iridem prima decreto suo non poterit secundam, illæsa ipsius libertate, determinare? 3. *Deus operatur in nobis velle & perficere pro beneplacito suo.* Philipp. cap. 2. Ergo voluntate absolutâ & efficaci decernit, quid factori simus, antequam voluntatis nostræ consensum aduertat; cum hunc consensum ex decreto suo in nobis efficiat.

## ASSERTIO TERTIA.

**LICET** Deus actiones facultatis liberæ decreto absoluto, & prædeterminante, definiat; hoc decretum tamen earum libertati nequaquam præiudicat. Probatur 1. Idem proportionem sentiendû de libertate creata, ac de increata; cum illa sit huius imitatio. Sed libertas diuina amice coheret cum decretorum diuinorum immutabilitate. Ergo coheret & creata. 2. Libertas creata ratione dominij, quod habet in suos actus, potest saluâ eorum libertate, ipsos definire; prout libuerit. Sed *Deus, ex August. de corrept. & gratiâ, cap. 14. magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas.* Ergo potiori iure earum actus prædefinire potest, illæsa ipsorum libertate. 3. Si decreta Dei absoluta, & efficacia, futurorum contingentis præiudicarent, idèb præiudicarent, quod possitis eiusmodi decretis, futura certè & immutabiliter euentura essent. Sed hoc non impedit, quin contingenter quoque euentura sint. Licet enim respectu decretorum diuinorum sint certè euentura, respectu tamen

causarum liberarum sunt contingenter futura : nec certitudo existentiae , à decretis diuinis deriuata , repugnat eorundem contingentiae , à causarum secundarum libertate prouenienti. Si quidem hæc duo sunt plane diuersa, & in vno eodemque effectu amice coherent. Ergo, &c. 4. Denique , quando Deus futura libera decreto absoluto prædefinit, non tantum decernit, vt fiant ; sed præterea decernit, vt à causa libera cum indifferentia fiant. Cùm itaque causam liberam ad eorum productionem aptet & disponat : & cum hæc causâ libere concurrat, illa non potest non libere fieri. Confirmat Thomas, opuscul. 140. articul. 8. *cùm voluntas diuina, inquit, sit efficacissima non solum sequitur, quod fiant, quæ Deus vult fieri : sed quod eo modo fiant, quo Deus vult fieri. Vult autem quadam fieri necessario, quædam contingenter, vt sit ordo in rebus ad complementum vniuersi : & ideo quibusdam effectibus aptant causas necessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proneniunt : quibusdam autem aptauit causas contingenter defectibiles ex quibus effectus contingenter eueniant.* Efficacia igitur decretorum Dei non derogat contingentiae rerum : cùm eam stabilit. Expendamus tandem, an concursus ipse deroget.

### CONSENSVS LIBERTATIS CVM CONCVRSV.

**E**A est dependentia hominis à Deo, vt operari nequeat, quin Deus ipsi cooperetur. Verum hæc cooperatio homini libertatem adimere videtur : cùm enim Deus sit causa prima ; eiusque concursus operationi hominis præeat , inde sequi videtur, hominem à Deo determinari ad agendum ; adeoque suarum actionum dominum non esse. Hæc est tertia & vltima difficultas ; cui, ad plenam libertatis humanæ notitiam, est occurrendum.

Nonnullis Deus equidem concurrat ad omnes, & singulas, hominis actiones ; verum, quandoquidem non concurrat concursu immediato, & proximo ; sed remoto duntaxat ; vires agendi largiendo, easque sustentando : propterea concursu suo hominis libertatem non lædit. Deus, aiunt illi, hominem variis facultatibus ad operandum instruit : facultatibus illis inclinationem agendi aspirat : operantes denique influxu continuo sustentat. Cùm hæc omnia præster, ad omnes, & singulas, hominis actiones concurrere censendus est. Verum, cùm ad eas concurrat concursu mediato, & solâ conseruatione facultatis agentis : idcirco libertati nocere nequit. Sic concursum Dei cum hominis libertate conciliant ex veteribus Scholasticis Durandus, in 2. dist. 1. quæst. 5. Aureolus in 2. dist. 28. Ex Recentioribus Ludouicus à Dola Capucinus, peculiari opere ea de re conscripto ; Lallemandetius, Physicæ disput. 4.



parte 4. Nec ab his longe discedunt Iohannes Caramuel, Theologiae Rationalis volum. 2. lib. 3. Theſibus Theologicis de omniscientia, & omnipotentia: Emanuel Magnan, Philosophiæ Sacræ cap. 13. cum quibusdam Doctoribus Parisiensibus, & Salmanticensibus: hisque ex nostris accedit Amyraldus, de lib. arbit. cap. 4.

Illi libertatem humanam cum diuino concursu satis conuenienter appetant, si satis diuino concursui in actionibus humanis tribuerent. At satis tribuere non videntur. Cum aiunt Deum facultates hominis operantes influxu suo conseruare; tacite quidem fatentur ipsum immediate influere in facultatum operationes: quandoquidem facultates non possunt à Deo immediate conseruari, quin earundem operationes immediate conseruentur; nec operationes immediate conseruari, quin immediate producantur: eò quòd conseruatio rei à Deo, eiusque productio continuata, sunt vnum & idem. Vnde etiam Magnanus, Philosophiæ Naturalis cap. 19. prop. 14. contendit ipsos idem sentire, (saltem quoad actiones ordinarias & naturales.) cum iis, qui arbitrantur Deum ad actiones humanas immediate concurrere. Attamen in hoc negotio sese non satis feliciter explicant. Manifestum est enim Deum ad omnes, & singulas, hominum actiones proximè concurrere. Reuera, quemadmodum creatura non esset, nisi Deus immediate ei adesset; ita similiter non ageret, nisi Deus immediate coageret. Idque Scriptura aperte confirmat, quando ait, nos in Deo viuere, moueri & esse. Vt igitur libertas humana cum diuino concursu componatur, concursus immediatus non est inficiandus.

Quibusdam Aliis Deus concurrit immediate ad singulas hominis actiones; eo tamen concursu earum libertatem non euertit; quoniam concurrit concursu vniuersali, non speciali; indifferenti, non determinato; simultaneo, non præiudiciale; concursu denique operationem facultatis quidem attingente; sed facultatem ipsam nequaquam afficiente. Cùm itaque influxus ille temperetur iuxta exigentiam facultatis liberæ: nec illi villo modo contrarietur: cùm non antecedit eius operationem, sed solùm comitetur; imò sit ipsa facultatis operatio, spectata, quatenus à Deo oritur; cum facultas eo vtatur pro arbitrio; perinde ac aëre vtimur ad respirandum, vt loquitur Berigarthus: cum denique ad varias actiones eum determinet, eodem modo, vt ait Bellarmus, quo Tubi Organici, pro varietate conformationis suæ, flatum follis, ex se indifferentem, ad varios sonos flectant; propterea libertati officere nequit. Ita, si fides Atingio, Peripatetici cum Principe suo Aristotele, Pelagiani veteres, quibus cum Augustino res fuit, Sociniani, Nouatores, libertatem cum concursu conciliant. Quibus nos adiungimus omnes fere Iesuitas, multos Franciscanos, aliquos Fulienſes, & quosdam ex Reformatis.

Si de prauis, vel etiam indifferentibus, hominis actionibus tantum ageretur; hæc conciliationis ratio forsitan stare posset, siquidem influxus Dei vniuersalis videtur ad actiones illas sufficere posse: sed; cum de omnibus, in vniuersum; malis, bonis; naturalibus, supernaturalibus; mortalibus, & theologice agatur; stare non potest. Deus in operibus gratis, *circumcidit ipse corda*, Ezech. cap. 11 & facit, *ut ambulemus in viis suis*. Item, *operatur velle & perficere pro bona sua voluntate*, Philipp. 2. Hæc certe generali influxu, & cooperatione quâdam indifferente, præstare nequit. Deinde, si ad actiones humanas eo tantum influxu concurrat; nec efficacius operetur: an omnia pro voluntate reget; cum ea sit huiusce influxus conditio, ut ad nullam opus determinet? Alia sane conciliationis ratio est incunda.

Aliis igitur Deus ad actiones humanas concurrat concursu determinato; eoque non tantum simultaneo, sed præiudicato & præmouente: is tamen homini libertatem suam non eripit; quia cum ipso stat in homine potestas ad non agendum, aut aliter agendum; licet cum eodem non sit cessatio ab actu, aut actus oppositus; Vel potius, libertas non eripit: quoniam conditioni hominis sic est attemperatus; ut ipsum moraliter potius fleat, quam physice impellat. Iuxta hanc opinionem igitur influxus, quo Deus ad actionem hominis concurrat, est aliquo modo duplex; præiudicatus, quo voluntatem immediate afficit, & ad agendum determinat: & simultaneus, quo præmotam & operantem comitat. Neuter autem eius libertati nocet; quia non impediunt, quin ex iudicio rationis indifferente se se condeterminent: atque adeo, stante vtroque illo concursu, facultatem ad opposita seruet. Vtroque illo stante, perit forsitan indeterminatio actus; at facultatis ipsius indifferentia non perit. Deinde, quamuis indifferentia illa aliquo modo periret, libertas tamen non amitteretur: quia concursus illi sic voluntatis conditioni accommodantur, ut ipsam modo quodam morali fleant & determinent: adeoque eius libertati non derogant.

Hanc conciliandi rationem amplectuntur plurimi Ecclesie Patres, Thomistæ recentiores, omnes fere Doctores Reformati, Ianseniani, multique alij: nec absolute damnari potest. Verum, cum Thomistæ recentiores, & multi ex nostris, contendunt Deum speciali motione ad quemcunque actum, siue bonum, siue malum, præmouere: hancque præmotionem esse impulsu physicum, absolute prædeterminantem; cum nonnulli ex aliis contra velint, præmotionem illam esse pure moralem: Deumque voluntatem mouere dantaxat intellectu practici iudicio: aut suaui quâdam inspiratione; neutris autem in omnibus plene assentiri possimus: paulo fusiùs declarandum est, quid in re adeò perplexa sentiendum nobis videatur.

## ASSERTIO PRIMA.

DEVS creaturæ agenti non tantùm cooperatur : sed etiam præoperatur. Cooperari omnes fatentur : cùm enim operatio creaturæ sit entitas quædam , non potest non à Deo , tanquam à causa efficiente , pendere : præoperari verò sic euincimus. Causa prima secundæ præoperatur. At Deus est causa prima , vt omnes concedunt : Ergo , &c. 2. Deus causæ secundæ vel suboperatur , vel tanquam causa partialis cooperatur , vel præoperatur. Non primum : quia Deus creaturæ subesset. Non secundum , quia eiusdem ordinis cum creatura foret. Ergo tertium. 3. Si Deus creaturæ operanti non præiret : tum creatura Deo præiret , vel fortuitò vterque in vnam operationem conuenirent : si enim neuter alteri præat , vix intelligi potest , quomodo eodem temporis momento in vnam operationem conuenire possint , quin fortuitò conueniant. Sed nec creatura Deo præit , nec vterque fortuitò conueniunt. Ergo Deus necessario præit. Hoc argumentum ab Aluare , disput. 22. de auxili. , ad asserendam prædeterminationem physicam respectu omnium actionum. Idem quoque à Ludouico à Dola lib. 1. de concursibus Dei & creat. cap. 4. ad eandem vnà cum concursu simultaneo plane euetendam vrgetur. Verùm neutri illorum bene militat : an efficacius nobis militet , æquus lector iudicabit.

## ASSERTIO SECUNDA.

DEVS creaturæ non solùm præoperatur : sed ipsam operatione suâ præiudicâ inclinât , flectit , & prædeterminat ad agendum. Patet : quia voluntas humana plerunque est à bono ita auersa , vt ad ipsum conuerti nequeat , quin potentissima Dei virtute excitetur , & flectatur. 2. Si Dei præcurfus creaturam ad agendum non determinaret , inutilis foret : ad hoc enim est institutus , vt creaturam excitet , moueat , & determinet ad agendum. At non potest esse inutilis : *Deum enim noster est in cælis , & operatur , quicquid vult.* Ergo , &c.

## ASSERTIO TERTIA.

DEVS non flectit motione immediatâ & impulsu physico creaturam liberam ad quemcunque actum : vt volunt recentiores Thomistæ , multi ex Scotistis , itemque ex nostris Antonius Valæus , responsionis ad censuram Coruini cap. 3. Tuuissus vindictarum gratiæ lib. 2. digest. 7.

G

Rhetorfortis de diuina prouid. cap. 27. Amefius Bellarm. eneuati tom. 4. lib. 3. cap. 3. Paulus Voetius Theologix Naturalis Reformatæ cap. 19. Soion Fitanus Exercit. Metaphys. lib. 2. Exercitatione 7. Heerbordius Disputationibus Meraphysicis de concursu. Fleclit tamen motione generali, vt volunt Gibiufus de libertate Dei & creaturæ lib. 1. Guillelm. Camerar. disput. felect. parte 2. quæft. 9. Duhamel Philofophiæ Moralif Christianæ differt. 3. cap. 2. Strangius de voluntate Dei circa peccatum lib 3. Dux funt partes in hac concludione. Prior fic confir-matur. Deus fpéciali motione & influxu phyfico non prædeterminat ad ea, quæ arbitrio agentis liberi permittit, vt illa agat, vel non agat. Nam fi prædeterminaret, ea non forent indifferentia, nec agentis li-beri arbitrio permitterentur. At permulta funt, quæ agentis liberi ar-bitrio permittit, vt, ambulare, vel non ambulare; federe, vel stare, &c. Reuera quidem; cùm homo folo generali Dei concursu hæc præftare poffit, quis credat in his fpéciali prædeterminatione egere? 1. Si ad quofcunq; actus Deus motione fpéciali & phyfica prædeterminaret, ad peccatum prædeterminaret: adeoque peccati caufa videretur: Qui enim efficaciter & neceffariò ad peccatum, omnefque peccati circun-ftantias, prædeterminat, is videtur effe caufa peccati. Impium eft autem afferere Deum effe caufam peccati. 3. Si ad quafcunq; hominis actio-nes fpécialis prædeterminatio fit neceffaria: peccatum Adami, à Deo ex inaduertentia quadam deficientis, ipfi Deo imputandum effet: Si enim prædeterminatio diuina adfuiffet, Adamus ad præceptum diuinum aduertiffet, nec defeciffet: eâ autem fubtraçtâ non potuit non deficere. Sed peccatum Adami, ex inconfideratione deficientis, Deo non eft im-putandum. Ergo fpécialis prædeterminatio non eft neceffaria ad qual-cunq; hominis actiones. Egregie eam in rem Strangius: *An non ineptum videtur, ait, ad omnes rifus, cachinnos, gesticulationes, & ineptias ftul-torum, vagitus infantium, motus, fiue internos, fiue externos dormientium; actiones nullius momenti vigilantium: fiue fiant libere, fiue inconfulto: & ne-fandas actiones diabolorum, & hominum nequiffimorum, non minus neceffariam effe prædeterminationem, quàm ad eximias actiones, motusque heroscor, & opera pietatis, ac fupernaturalia.* Polterior eiufdem concludionis pars, nempe Deum motione generali ad omnia præmouere, eft quoque euident. Siquidem omnis perfectio creaturæ eft à Deo, tanquam à prima caufa. Sed operatio eft perfectio creaturæ. Deinde, fummum bonum omnia ad fe conuertit, nullamque agens operatur, quin sum-mi boni infpiratione & intuitu operetur. Sed Deus eft fummum bo-num. Ergo omnia ad fe conuertit: nullamque agens operatur, quin ab eo infpiretur. Vnde etiam Scriptura ait, omnia à Deo, per Deum, & in Deum effe.

## ASSERTIO VLTIMA.

SIVE Deus motione generali, siue speciali & physicâ, ad agendum moueat: neutra ex illis causâ secundâ libertatem lædit. Et primò quidem, quoad præmotionem generalem: siue hæc sit actualis intentio finis vltimi, cordi à Deo inspirata; quæ ad mediorum electionem impellat, vt volunt Ianseniani: siue sit iudicium intellectûs practicum, à Deo ex sapientia sua procuratum, vt eo voluntas suauissime, indeclinabiliter tamen, flectatur; vt alii existimant: siue sit demum motio obiectiua, facultatis genio ita attemperata, vt eam infalibiliter determinet, vt alij sentiunt: nihilominus tamen libertatem non adimit. Nam ita ad agendum impellit, vt potestatem non agendi facultati liberæ relinquat. Præterea, si à decreto Dei, eiusque præscientia, præscindatur, à quibus efficaciam suam totam deriuat; ex se ad agendum necessariò non determinat: adeoque libertatem eripere nequit. Quoad motionem specialem, physice prædeterminantem; siue ipsa sit decretum diuinum, quo actio causâ secundâ, per sympathiâ & consensum, quædam, tali vel tali tempore immutabiliter inferatur, vt volunt Scotistæ: siue qualitas quædam facultati liberæ infusa, vi cuius ad agendum indeclinabiliter flectatur, vt sentiunt nonnulli Thomistæ; siue denique, vt vulgus Thomistarum arbitratur, motio Dei physica, aut potiùs, physico-moralis, quæ causam secundam ad actionem necessariò applicet: hæc libertati derogare non potest. Siquidem vel est facultati liberæ extrinseca; vt decretum Dei: vel facultati sic attemperatur, vt potestatem ad opposita non adimat: vel denique à Deo descendit, qui cordi nostro sic dominatur, vt necessitatem præcursu illo imponere nequeat. *Sicut ergo non auferitur à causis naturalibus proprius modus operandi, sed potiùs perficitur; cum mouentur à Deo, ait Guillelm. Camerac. Ita etiam liberum arbitrium non destruitur, sed perficitur: cum prouenitur à gratia. Nam gratia mouet secundum quod liberum arbitrium est aptum moueri, hoc est, libere.* Idque luculenter à Thoma confirmatur, quæst. 6. de potentia, art. vnico, his verbis, *Deus mouet voluntatem immobiliter propter efficaciam virtutis mouentis, qua deficere non potest: sed propter naturam voluntatis mota, qua indifferentem se habet ad diuersa, non inducitur necessitas, sed manet libertas: sicut etiam in omnibus prouidentia diuina infalibiliter operatur: & tamen à causis contingentibus proueniunt effectus contingentes, in quantum Deus mouet proportionabiliter unumquemque secundum proprium modum.* Porro, licet rationes, quibus concursus diuini cum agentibus liberis concordia stabiliatur, deesse viderentur; ille tamen non ideò negandus foret. *In multis enim non*

*deficit ratio, sed homo. In. ò; etiam si ratio deficeret; tamen non statim deficeret veritas.*

FINIS.



# COROLLARIA PHILOSOPHICA:

## EX DIALECTICA.

1. **O**bjectum Dialecticæ non sunt entia quædam rationis fictitia; quibus operationes intellectus dirigantur; non modi sciendi obiectivi, seu, res ipsa distincte cognoscenda; sed instrumenta sciendi, siue conueniens dispositio idearum intellectus.
2. Nulla est actio intellectus, qua variis defectibus non sit obnoxia, quaque adeo Logicæ directione non egeat.
3. Nullum est in intellectu iudicium, quod non sit determinate verum, vel falsum.
4. Error in iudicio oritur; quod voluntas, seu iudicium, latius excurrat, quàm intellectus, siue perceptio.
5. Multa sunt in intellectu, quæ nunquam fuerunt in sensu.

## EX SCIENTIA VNIVERSALI.

1. **E**ssentia rerum non sunt aterna; neque ab existentia, re ipsa, vel conceptu adequato, distinguuntur.
2. Ens aliud est substantia, aliud modus. Modus autem cum subiecto adeo intime coheret, ut nulla virtute sine illo stare queat.
3. Proprietates à subiectis suis non distinguuntur; adeoque ab illis separari, & in aliena subiecta transfundi non possunt.

## EX METAPHYSICA.

1. **M**etaphysica obiectum est mens; siue finita, ut Anima rationalis; & Angelus; siue infinita, ut Deus.

H

2. *Anima rationalis, quæ est in filio, ab anima parentum non est decisa: non est etiam ex semine educata: sed immediate à Deo creata, & corpori, eo ipso, quo creatur, momento infusa.*

3. *Ex idea Dei, nobis innatâ, Deum esse constat. Is autem omnia influxu suo ita sustentat, ut ad omnes creaturarum actiones concurrat, concursu tum simultaneo, tum prævio.*

## EX PHYSICA.

1. **P** *incipia corporis naturalis constitutiva sunt materia & forma. Materia est substantia extensa; forma vero in rebus pure naturalibus materia modificatio.*

2. *Locus & tempus corporis naturalis sunt affectiones. Locus autem est situs unius corporis inter alia; tempus vero interna uniuscuiusque duratio, ab ipso minime distincta.*

3. *Mundus ita est unus, ut multiplex; ita indefinitus, ut maior esse posse non videatur. Ita productus est in tempore, ut ab æterno produci non posuerit.*

4. *Cæli sunt fluidi, & corruptibiles. In eo motu, quem ab initio accepere, perseverant; Deoque succurrente, semper perseverabunt; donec mundus intereat.*

5. *Unio mentis humanæ cum corpore non est modus inter utrumque intermedius, quo deuiantur; non immediatus utriusque contactus; sed mutua utriusque in actionibus & passionibus subordinatio, Dei beneplacito constituta.*

## EX ETHICA.

1. **S** *ummum bonum hominis positum est in animi voluptate.*

2. *Via ad summum bonum est virtus.*

Ad assequendum Artium Magisterium, Deo duce, pro omnibus hisce stabunt die 13<sup>to</sup> Septembr. ab hora octaua ad vesperam, loco solito, Adolescentes supra designati.